

UNIVERSITÉ DE COPENHAGUE

**CAHIERS
DE
L'INSTITUT DU MOYEN-ÂGE GREC ET LATIN**

90

Saxo Institute

2021

<Nicolaus Parisiensis>
Scriptum super Librum Divisionum Boethii
An Edition

by
Sten Ebbesen

Introduction

1. The manuscript

M = Ms Munich, BSB, clm 14460, is a composite parchment codex consisting of ff. I+247+I + sp. (–190-198, which never existed, and + 210^{bis}. which is paper), mm. 241x170 (measured 1973). The pastedown (“sp.”) at the end comes from a 15th-c. ms. It consists of at least two main parts: (α , ff. 1-210 + 246-247) produced in the second half of the 13th century, and (β , ff. 211-246-247) wholly or mostly from the 14th c. Part β seems to be composite, to judge by the occurrence of different hands, but I have not had any opportunity to do a proper codicological study of the ms.

Part α contains several commentaries on the *Ars vetus*, some of which carry ascriptions to Nicholas of Paris, an arts master who appears to have been active in Paris in the 1240s.¹

¹ For Nicholas’ production and literature about him, see O. Weijers, *Le travail intellectuel à la Faculté des arts de Paris: textes et maîtres (ca. 1200-1500)*, VI. Répertoire des noms commençant par L-M-N-O, *Studia Artistarum* 13, Brepols: Turnhout 2005, pp. 191-197.

Part α

- Ir-v Nicolaus Parisiensis, *Comm. Porph. Intr.* (frgm.), *inc.* DIFFERENTIA VERO ET PROPRIUM. Posita comparatione differentiae ad speciem
- 1r-20v Nicolaus Parisiensis, *Comm. in Porph. Intr.*, *inc.* Unus est creator, creaturae vero plures. Cf. 150v–151v.
- 20v-28r Anon., *Comm. in Porph. Intr.*, *inc.* Liber iste de quinque universalibus dividitur
- 28r-32r Anon., *Quaest. de scientiis*, *inc.* Primo quaeritur utrum philosophia sit genus ad speciales scientias.
- 32r-33v <Nicolaus Parisiensis>, *De divisione scientiae*, *inc.* Cum scientia habeat duplicem comparationem, scilicet ad scientem et ad scibile.
- 33v-34r Anon., *Tractatus de primo principio*, *inc.* Firmiter credimus et ad praesens prout ingenii nostri
- 34r-41v Anon., *Comm. in Porph. Intr.*, *inc.* Logica per modum doctrinae est via in naturalem et moralem
- 41v Anon., *Quaestio quare liber Praedicamentorum non habet prooemium*, *inc.* Solet quaeri quare
- 42r-62r <Nicolaus Parisiensis>, *Rationes super Praedicamenta* (*Comm. in Arist. Cat.*), *inc.* Quaedam sunt scientiae speciales et de partibus entis. At 62rA the scribe names himself: Iohannes de Rozstok.
- 62r-100v Anon., *Comm. in Arist. Int.*, *inc.* Omne iudicium praecedit apprehensio. Possibly by Nicholas of Paris; see H. Hansen & A.-M. Mora-Márquez, ‘Nicholas of Paris on Aristotle’s *Perihermeneias* 1-3, *CIMAGL* 80 (2011) 1-88.
- 101r-143v Anon., *Comm. in Arist. Int.*, *inc.* Sicut habetur ab Aristotele in principio *Perihermenias*
- 144r-150r** <Nicolaus Parisiensis>, *Comm. in Boeth. Div.*
- 150r Anon., *De termino*, *inc.* Terminus aut consideratur prout se habet in propinqua dispositione
- 150v-151v Nicolaus Parisiensis, *Philosophia* (= *Prooemium in Comm. Porph. Intr.*), *inc.* Unus est creator primus. Edition by C. Lafleur and J. Carrier in id. (eds.), *L’enseignement de la philosophie au XIIIe siècle*, *Studia Artistarum* 5, Brepols: Tournhout 1997, pp. 447–465.
- 152r-166v Nicolaus Parisiensis, *Comm. Boeth. Diff. Top.*, *inc.* Syllogismus dialecticus duplicem habet virtutem

- 167r-173v Anon., *Comm. Porph. Intr.* (frgm), *inc.* Sicut dicit Isaac in libro suo De definitionibus
- 174r-188r Anon., *Comm. Sex Princ.*, *inc.* Sicut in rebus est triplex unitas
- 188r-201v <Nicolaus Parisiensis>, *Comm. in Prisciani De accentu*, *inc.* Sermocinales scientiae sunt viae ad alias scientias. At 201v the scribe names himself: Iohannes de Roszstok
- 201v-208r <Nicolaus Parisiensis>, *Comm. in Donati Barbarismum*, *inc.* Grammatica aliter a Donato, aliter a Prisciano dividitur.
- 208r-210r Anon., *Comm. in Prisciani De accentibus*, *inc.* Inter cetera sensuum obiecta. On 208rB, shortly after the beginning of the commentary, there is a change of hand, it seems, or at least of ink.
- 210v + 210^{bis} Anon., *Tractatus logicus* (saec xiv), *inc.* Cum autem homo rationem suam et intellectum(?) non posset perficere nisi mediante logica

Part β

- 211r-238v Anon., *Comm. in Arist. APo. II*, *inc.* QUAESTIONES SUNT AEQUALES NUMERO etc. Demonstrato secundum suam [[essentiam]] substantiam ex quibus et qualibus fit demonstratio.
- 239r-242v Anon. *Comm. in Arist. APo. I* (frgm.), *inc.* Cum cognitio non sit perfectio cognoscibilis sed est perfectio cognoscentis
- 243r Anon., *Quaestiones de motu*, *inc.* Quaeritur utrum omne quod movetur sit corpus
- 243v-244r vac.
- 244v-245v Anon., *Quaestiones de anima* (perhaps a fragment of a commentary on Arist., *de An.*), *inc.* Quaeritur utrum aliqua forma sit substantialis

Part α

- 246r-247v Anon., *Comm. in Porph. Intr.* (frgm.), *inc. aceph.* non definit aliquid aliorum per abnegationem aliorum

2. Authorship

The commentary on Boethius' *De divisione* (which the author calls *Liber divisionum*) has been transmitted without any indication of authorship. However, the occurrence in the ms of commentaries by Nicholas of Paris on other parts of the *Ars vetus* makes it tempting to attribute it to him.

Doctrinal agreements with Nicholas' commentary on Aristotle's *Sophistical Refutations* (ms Praha, MK L.76, ff. 55r-78v) support this attribution (see footnotes to *lectio* 6, *dubia* 8-9). Moreover, concerning the category of relation there is a remarkable doctrinal agreement between what is said in *lectio* 3, *dubium* 10 and the commentary on the *Categories* found on ff. 42r-62r of the Munich manuscript.¹ Finally, in *lectio* 3, *dubium* 3, the author employs a distinction between *dici secundum rem* and *secundum modum* that also recurs, and for the same purpose, in the *Categories* commentary (see footnote *ad loc.*). In all likelihood, then, the Munich commentaries on the *Categories* and *De divisione* have the same author, and he is identical with the one who composed the commentary on the *Sophistical Refutations*, the colophon of which reads: *Expliciunt notule magistri nicolai parisiensis supra librum elenchorum. amen. amen.*

Structure and place in the curriculum

The commentary divides the text into six *lectiones*, each with four main sections: *divisio textus*, *sententia*, *ordo*, *dubia*. The *ordo* can be fused with the two preceding ones.

The teacher must have covered the text of each “lesson” in one day, for in lesson 1 there is reference to what Boethius will say in tomorrow’s lesson (*in crastina lectione*), and in lesson 2 he similarly talks about the part of the text belonging to the present lesson as opposed to the part what will be dealt with tomorrow (*pars istius lectionis ante illam quae cras determinabitur*). Thus, the whole course on *De divisione* can have been absolved in one week, supposing no feast day intervened.

A 1252 statute from the English nation of the University of Paris makes it a prerequisite for becoming a B.A. that the student has followed a course on *Liber divisionum*, but he only needs to have done so once, and a cursory one suffices – by contrast, he must have “heard” the *Categories* and *Peri*

¹ For the view defended in the commentary on the *Categories*, see Heine Hansen, ‘Strange Finds, or Nicholas of Paris on Relations’, in Fink, J., Hansen, H. & Mora Márquez, A. M. (ed.), *Logic and Language in the Middle Ages: A Volume in Honour of Sten Ebbesen*, Investigating Medieval Philosophy 4, Brill: Leiden–Boston, 2013, pp. 139-54.

hermeneias at least twice *ordinarie* and once *cursorie*.¹ So Boethius' book was considered important enough to be a set text, but not important enough to deserve repeated study. As the standard phrase was in the 13th century, Aristotle's works were *de esse logices*, the Boethian opuscula "adminiculative" and *de bene esse*.

In a 1255 statute issued by all the Paris arts masters together, it is stipulated that a course on the *Ars Vetus*, – specified as containing Porphyrys' *Isagoge*, Aristotle's *Categories* and *Peri hermeneias* plus Boethius' *Divisiones and Topica* (i.e. *De topicis differentiis*) I-III – should occupy the time between the day of St Remy and the Annunciation,² i.e. early October till late March, or about 25 weeks.

Now, the six lessons of the *De divisione* commentary take up six leaves in the Munich ms. Add the commentaries on Porphyry, *Categories*, *Peri hermeneias* and *De topicis differentiis* that are likely to be by Nicholas, and we reach some 92 leaves. If the average of one lesson a leaf holds, the whole course would require a little more than 15 weeks of six *dies legibiles* each. Now, not all weeks had six *dies legibiles*, but still there seems to be some left-over time. Some of that time could be filled in if *Liber sex principiorum* was included in the course, as it appears to have standardly been, although it is not mentioned in the statute. The statute makes it clear that *de Anima* could be read either together with the *libri naturales* or with the *libri logicales*,³ but it does not seem to allow the teachers to shorten their course on *Ars Vetus* just because they also taught some further text.

¹ Denifle, H. & É. Chatelain, *Chartularium Universitatis Parisiensis*, Delalain: Paris, 1889ff., vol. I, No. 201: "Bachelarius autem licentiandus ad determinandum in artibus Parisius [...] fidem faciet corporalem quod [...]. Insuper quod audiverit libros Aristotilis de Veteri logica, videlicet librum predicamentorum et librum periarmentias bis ad minus ordinarie, et semel cursorie; librum sex principiorum semel ordinarie ad minus et semel cursorie; libros videlicet tres primos topicorum et librum divisionum semel ordinarie vel ad minus cursorie [...]."

² Denifle, H. & É. Chatelain, *Chartularium Universitatis Parisiensis*, Delalain: Paris, 1889ff., vol. I, No. 246: "[...] statuimus et ordinavimus, quod omnes et singuli magistri facultatis imposterum libros, quos in festo beati Remigii inceperint, temporibus inferius annotatis absolvere, non ante, teneantur. *Veterem logicam* videlicet *librum Porfirii, predicamentorum, periarmentias, divisionum et thopicorum* Boecii, excepto quarto, in festo Annunciationis beate Virginis vel ultima die legibili precedente."

³ *Ibidem*: "librum *de anima*, si cum naturalibus legatur, in festo Ascensionis, si autem cum logicalibus, in festo Annunciationis beate Virginis".

The *Ars Vetus* commentaries associated with Nicholas thus suggest that in his day a full course was somewhat shorter than prescribed in the 1255 statute, and the statute's express prohibition of ending the course before Annunciation may have been an attempt to lengthen the duration beyond what was common practice.

In practice, the teachers must have had some latitude in how to fulfil their teaching obligations, also after 1255. Most seem to have simply dropped the Boethian works on division and topics from their *Ars Vetus* course. I am only aware of two other *lectio* commentaries on *De divisione* from the 13th century: the fragmentary one by Kilwardby edited elsewhere in this issue of *CIMAGL*, and the one by Anonymus Domus Petri 205, an extract from which is printed as an appendix to Kilwardby's text. And what is more, we only possess a single, and fragmentary, question commentary on *De topicis differentiis*,¹ and none at all on *De divisione* from the 1270s or the 1280s, when such commentaries on other parts of both *Ars Vetus* and *Ars Nova* abound. In the 1290s Radulphus Brito composed question commentaries on both Boethian *opuscula*, but nothing suggests that he started a trend.²

3. *Ratio edendi*

The edition is based on a transcription from a digitized microfilm published on the internet by the Bayerische Staatsbibliothek. Both Prof. Costantino Marmo (University of Bologna) and Dr Heine Hansen (University of Copenhagen) kindly read a first draft of the edition a couple of years ago, eliminating most of my typing errors and suggesting solutions to problems in the text. Conjectures due to Dr Hansen are marked as such in the apparatus.

I have imposed my own paragraphing, punctuation and classicizing orthography on the text. All matter in italics has been added by me. Lemmata from Boethius' text are underlined, as in the manuscript. Their location in Boethius' work is indicated by page and line in: Anicii Manlii

¹ By Martin of Dacia, published by H. Roos in *Corpus Philosophorum Danicorum Medii Aevi* II, Copenhagen 1961.

² Brito actually has left us two question commentaries on *De divisione*. An edition of both by Costantino Marmo and Sten Ebbesen is forthcoming. His questions on *De topicis differentiis* were edited by N.J. Green-Pedersen in *CIMAGL* 26 (1978) 1-92.

Severini Boethii *De divisione liber. Critical edition, translation, prolegomena, and commentary by John Magee*, *Philosophia Antiqua 77*, Brill: Leiden &c. 1998.

4. Conspectus siglorum

M	codex Monacensis latinus 14460
M^{corr}	manus correctrix in cod. M
\album/	album <i>supra lineam vel in margine additum extat</i>
<album>	album <i>inserendum censui</i>
<<album>>	album <i>quod in imagine photographica non videtur in codice extare putandum</i>
[album]	album <i>delendum censui</i>
[[album]]	album <i>quod in codice extat a librario deletum est</i>
alb(um)	album <i>ita compendiose scriptum est ut litterae um omissae sint</i>
a.c.	<i>ante correcturam</i>
add.	<i>addidit</i>
del.	<i>delevit</i>

<Nicolai Parisiensis>

Scriptum super Librum Divisionum Boethii

LECTIO 1^a

Praemittenda

/M 144rA/ Sermocinalis scientia non cadit primo et immediate supra res nec supra rerum cognitionem, sicut scientiae naturales, quoniam de rebus potest esse scientia et cognitio sine sermone, sed sermocinalis philosophia cadit primo et immediate supra ipsas ratiocinationes per quas est doctrina, quoniam istae ratiocinationes per quas est doctrina sumuntur hoc modo, quoniam doctrina potest esse aut de re complexa aut de re incompleta. Si de re complexa, aut per priora aut per posteriora. Si per priora, sic est syllogismus, de quo sufficienter determinatur in libro Priorum et Posteriorum et in libro Topicorum ipsius Aristotelis similiter. Si per posteriora, sic sumitur inductio, de qua similiter satis actum est ab Aristotele in libro Topicorum. Si de re incompleta, similiter aut per priora aut per posteriora. Si per priora, sic sumitur definitio, de qua sufficienter determinatum est in secundo libro Posteriorum. Si per posteriora, sic sumitur quaedam divisio quae est divisio generis in species et non alia, quia non omnis divisio est per posteriora; et de ista divisione quae est generis in species et de aliis determinatur in libro Divisionum Boethii, quem prae manibus nunc habemus.

Ex hoc ergo apparet quid est subiectum sive materia huius libri, quoniam divisio.

Et etiam quae est causa efficiens, quoniam ipse Boethius.

Et etiam patet quae est causa formalis, quia duplex est, sc. modus tractandi et forma tractatus. Forma tractatus est ordinatio capitulorum ad invicem, modus tractandi est compendiosus, sicut dicit in prooemio.

Similiter patet quid causa finalis, quoniam duplex est, sc. propinqua et remota; propinqua causa est circa subiectum, sc. cognitio divisionis ipsius secundum se et secundum suas passiones; remota est ut mediante ipsa divisione veniamus in definitionem, et mediante definitione veniamus ad

demonstrationem, et mediante demonstratione veniamus ad artem et doctrinam.

Et etiam patet quis titulus, quoniam titulus est INCIPIT LIBER DIVISIONUM BOETHII.

Similiter patet cui parti philosophiae supponatur, quoniam sermocinali, quia sicut dicit inferius, ipse non intendit hic de quacumque¹ divisione, sed de illa quae fit per sermonem.

Divisio

Hiis visis, sc. viso quae sit causa materialis, efficiens, formalis et finalis, et quis sit titulus et cui parti philosophiae supponatur, ad divisionem huius libri accedamus.

Dividitur autem iste liber in tres partes, sc. in prooemium, tractatum et recapitulationem. Prima pars incipit hic <4.3> Quam magnos studiosis etc., secunda ibi <6.19> Divisio namque etc., tertia ibi in fine totius libri <50.4> De divisione quidem etc.

Prima pars est praesentis lectionis, et dividitur in duas, quoniam ad doctrinam duo exiguntur, sc. quod doctor loquatur ad discipulos, et quod discipuli attente intelligant. Unde in prima parte huius prooemii dicit quod determinat de divisione et qualiter; in secunda parte alloquitur scholares suos ut ipsi attente intelligant. Prima pars incipit hic <4.3> Quam magnos studiosis etc., secunda ibi <6.3> Nec ullus livor etc.

Sententia

Circa primam partem sic procedit dicens quod liber editus de divisione Andronici diligentissimi senis docet quam magnos studiosis fructus afferat scientia dividendi; similiter et liber ipsius philosophi docet quam, i.e. in quantum, haec notitia semper fuerit in honore apud Peripateticam disciplinam. Et hic idem, sc. Liber divisionum, est comprobatus a Plotino gravissimo philosopho, et dicebatur gravissimus quoniam erat certus et immobilis a sua scientia sicut lapis. Vel hoc quod dico ‘hic’ potest referre librum Andronici, et similiter iste liber est repetitus a Porphyrio in commentariis libri Platonis qui inscribitur ‘Sophistes’, et similiter utilitas

¹ quacumque] unaquaque **M** a.c.

est laudata ab eodem, sc. Porphyrio, per hanc, i.e. per scientiam huius libri in *Categoriis*, i.e. in libro *Introductionis*, quoniam ibi dicit Porphyrius¹ peritiam generis et speciei et aliorum fore necessariam, cum propter alia multa, tum propter utilitatem quae est maxima partiendi, i.e. dividendi. Et hucusque tetigit causam finalem huius libri, sc. utilitatem,

Quare, quia maximus est usus et facillima doctrina, ego perscripsi id, sc. librum *De divisionibus*, modo *introductionis*, et habita competenti et subtili traditione et moderata brevitatem in eandem rem sicut ego tradens, i.e. transferens, pleraque, i.e. omnia, Romanis auribus; et haec perscripsi tali modo, i.e. *introductionis*, ut nec anxietas /144rB/ decisae orationis et non perfectae sententiae ingeratur auribus legentium, nec est aequum mentes audientium expertes, i.e. nescientes et rudes et insolentes novi, habere supervacuum loquacitatem harum rerum. Et hucusque tetigit causam efficientem, materialem et formalem, quoniam per hoc quod dicit “id” tangit causam materialem, per hoc quod dicit “modo *introductionis*” tangit causam formalem.

Hoc habito sequitur pars secunda huius prooemii in qua alloquitur suos scholares et discipulos dicens quod ullus livor non obfuscet obliquis morsibus obtrectationis et detractionis id quod est digestum, i.e. compositum, a nobis magno labore et utilitate legentium; dico quod non obfuscet propter² istas duas causas invidiae, cum sit arduum natura et ignotum nostris. Unde per hoc tangit duas causas invidiae, quia quidam, cum habent invidiam de aliqua re, dicunt nimis esse arduam natura, similiter et est ignotum nostris. Sed ipsi non invidentes dent potius viam studiis nunc ignoscendo, i.e. indulgendo, si aliquid sit ibi male positum, nunc comprobando si aliquid sit ibi boni. Dico quod illud potius faciant quam stringant frena bonis artibus, et dum ipsi repudiant quicquid novum est impotenti obstinatione, i.e. obstaculo, sine pudore, tunc dico quod stringunt frena bonis artibus. Quis enim non videatur, q.d. nullus est qui hoc non videat, sc. plurimum valere ad defectum bonarum artium si numquam sit desperatio displicendi apud mentes hominum, quia si non crederent displicere, multa³ fecissent philosophi et doctores. Sed haec hactenus.

¹ Porph., *Intr.* 1.2-5.

² propter] *variam lectionem per supra propter add. M.*

³ multa fecissent] *variam lectionem vel multi fuissent supra haec verba add. M.*

Nomen ipsius divisionis nunc est dividendum, et secundum unumquodque vocabulum ipsius divisionis partes et proprietates uniuscuiusque propositi sunt tractandae.

Ordo

Ordo istarum partium patet, quoniam sicut prooemium ante executionem et executio ante recapitulationem, ita prima pars ante secundam et secunda ante tertiam.

Item partium huius lectionis patet ordo, quoniam in doctrina prior est doctor quam discipulus, et propter hoc prima pars ante secundam.

Item, ordo istarum causarum quas tangit vel ponit in secunda parte patet, quoniam finis movet efficientem, et efficiens materiam, et materia formam; propter hoc primo tangit causam finalem, postea efficientem, postea materialem, ultimo formalem.

Haec est sententia lectionis et ordo partium.

Dubia

Ad maiorem evidentiam possunt quaedam dubitari.

Ia Et primo, cum Aristoteles sufficienter determinet de logica et non determinet librum Divisionum, videtur quod liber iste superfluat, vel quod Aristoteles fuerit deminutus, quorum utrumque est inconveniens.

Ib Item quaeritur hic: si Aristoteles agit vel egit de divisione, quare non separate sicut Boethius?

Ad Ia Ad hoc dicendum est quod est quaedam divisio quae est de consideratione logici sive quae est necessaria ad logicam, et quae est de esse ipsius logices, ut illa divisio quae est generis in species per differentias constitutivas; est enim via in definitionem, et per definitionem devenimus ad demonstrationem, et per demonstrationem ad speculativam scientiam. Et Aristoteles¹ agit de ipsa divisione quae est de esse ipsius logices et non de alia. Sic non est deminutus. Boethius vero agit de illis quae sunt de bene esse, et de illa similiter quae est de esse. Et sic patet solutio ad illud.

¹ *Sc. in APo. II.13.*

Ad 1b Ad aliud, sc. quare Aristoteles non determinavit separate, dicendum quoniam non debuit, quia erat via in definitionem, et definitio in demonstrationem, et demonstratio in speculativam scientiam, et propter hoc scientia divisionis ab illis non debuit separari. Sed Boethius potuit, quia similiter determinavit de aliis divisionibus, quae non erant via ad ista.

2. Secundo quaeritur utrum Boethius determinet de omni divisione aut de aliqua.

2.1 Et videtur quod de omni, quoniam dicit in recapitulatione¹ quod de omni divisione expressit.

2.2 Si hoc concedatur, contra: quoniam divisio, sicut dicit in crastina lectione, multipliciter dicitur, sed de multiplici secundum omnes sui partes non est vera scientia sive una scientia; ergo si determinet de omni divisione, scientia non erit una, quod est inconueniens. Relinquitur ergo quod determinet de una et non de omni divisione.

Ad 2 Ad hoc dicendum quod determinat de omni.

Ad 2.1 Et concedo primam rationem ad hoc, quoniam si de aliqua determinaret, sicut de illa quae est generis per differentias, tunc non esset una scientia separata, sicut dicebatur superius. /144vA/

Ad 2.2 Ad aliud quod ipse obicit, dicendum quod quamvis multipliciter dicatur, analogice tamen, quia dicitur per prius et posterius, quoniam per prius dicitur de illa quae est totius in partes quam de aliis, quia in omnibus aliis divisionibus salvatur totum et salvantur partes, quoniam divisum se habet per modum totius, sed dividenda per modum partium. De aliis vero omnibus divisionibus dicitur per posterius. Unde non intelligas quod ipse principaliter intendat de illa divisione de qua illud nomen per prius dicitur, sed de illa quae est necessaria ad ipsam logicam; sc. de illa quae est generis per differentias.

3. Tertio videtur quod ista scientia superfluat, quia sicut dicit Aristoteles in fine secundi Posteriorum² quod quattuor sunt quaestiones, sc. quid est, si est, propter quid est, quia est, et omnis scientia aliquam istarum debet

¹ Boeth., *Divis.* 50.4-5.

² *Immo in initio secundi. Vide Arist., APo.* II.1.89b24-25.

determinare, sed divisio nullam istarum determinat; quare videtur quod superfluat.

Ad 3 Ad hoc dicendum quod aliquam istarum determinat, sc. quid est, non tamen immediate sed mediante definitione.

4a Quarto quaeritur quare Boethius non determinat de definitione.

4b Item, cum oppositorum eadem sit disciplina, et compositio et divisio sint opposita, manifestum est quod in eodem libro deberet determinare de compositione ubi determinat de divisione.

4c Et si faciat, quare magis intituletur de divisione quam de compositione.

Ad 4a Ad primum illorum dicendum quod determinat de definitione in illo capitulo ubi determinat de divisione quae est ei necessaria ad definitionem, sc. ibi ubi determinat de divisione generis per differentias. Et non debuit esse scientia separata de definitione ab ipsa divisione, quoniam divisio erat via ad definitionem.

Ad 4b Ad aliud dicendum quod de compositione non debuit determinare, quoniam compositio magis impediabat artem quam expediret, sicut patet in compositione quae est multorum significatorum in unam vocem, sicut in hoc quod dico ‘canis’.

Ad 4c Ad aliud patet solutio ex iam dictis, quoniam compositio non erat de esse ipsius logices neque debuit esse, sed impediabat ipsam: propter hoc non debuit intitulari De compositione sed De divisione.

5. Quinto quaeritur utrum divisio notificet divisum an dividencia.

5.1 Et videtur quod notificet divisum, quoniam sicut est in definitione, sic est in divisione; sed definitio notificat definitum; ergo divisio notificat divisum et non dividencia.

5.2 Et si hoc concedatur, oppositum videtur, quoniam ens dividitur per substantiam et accidens, unde ens est notissimum; ergo non notificatur per ipsam divisionem.

Ad 5 Ad hoc dicendum quod divisum debet notificari per divisionem.

Ad 5.1 Et concedo primam rationem.

Ad 5.2 Ad illud quod obicit dicendum est quod ens in se notissimum est, tamen in suis partibus per ipsam divisionem potest notificari, quoniam hoc modo non est notissimum.

6. Sexto et ultimo videtur quod duae ratiocinationes superfluant, sc. inductio et divisio, ad notificandum complexum et incomplexum. Quia complexum potest notificari per priora et posteriora, ut per syllogismum; superfluit ergo inductio. Et incomplexum similiter potest notificari per priora et posteriora, ut per definitionem; ergo superfluit divisio. Et sic manifestum est quod istae duae ratiocinationes superfluant, sc. divisio et inductio.

Ad 6 Ad hoc dicendum quod non superfluant, quoniam quamvis aliae sufficiant ad cognitionem complexi et incomplexi, tamen istae duae sunt necessariae quantum ad modum notificandi, quia alio modo notificant complexum et incomplexum quam syllogismus et definitio, et quantum ad modum notificandi quem habent alium non superfluant, quoniam quamvis syllogismus notificet complexum per priora et per posteriora, haec est via resolutoria; inductio vero notificat ipsum per posteriora via collectiva; et sic differunt quantum ad modum notificandi, et sic non superfluit inductio. Similiter quamvis definitio notificet \in/complexum per priora et posteriora, haec est via compositiva; divisio vero notificat ipsum per posteriora via divisiva, et sic non superfluit divisio, quia alium habet modum notificandi incomplexum quam definitio.

Et sic patet solutio ad omnia quae hic quaerebantur.

LECTIO 2^a

<6.19 / 877b> **DIVISIO NAMQUE MULTIS MODIS DICITUR etc.**

Divisio

Superius iste liber dividebatur in tres partes, in prooemium et executionem et recapitulationem. Prima parte terminata aggreditur Auctor secundam sic: quia \una/ est scientia quae considerat subiectum et /144vB/ partes eius et passiones, propter hoc ista pars dividitur in duas partes, in quarum prima dividit ipsum subiectum, et est divisio per suas partes; in secunda parte determinat de ipso¹ secundum eius partes et passiones. Prima pars incipit hic Divisio namque etc., secunda ibi <14.27> Nunc ergo quoniam.

Prima pars est praesentis lectionis, et dividitur in duas, in quarum prima dicit quod divisio multis modis dicitur, et manifestat per exempla, et in secunda assignat differentiam unius ad alterum, hoc est unius \membri/ divisionis [[membrum]] ad alterum. Prima pars incipit hic Divisio namque, secunda ibi <10.28> Quibus vero summa etc.

Item, prima pars dividitur in duas, in quarum prima dicit quod divisio multis modis \dicitur/, et in secunda exemplificat. Prima pars incipit hic Divisio namque, secunda ibi <6.26> Sed horum omnium exempla etc.

Sententia

Circa primam partem sic procedit, dicens quod divisio dicitur multis modis, quia quaedam est generis in species, quaedam totius in partes et alia vocis in significationes. Et praeter istas tres est alia divisio, quae secundum accidens appellatur, et huius triplex est modus, quoniam quidam est modus cum subiectum in accidentia separamus, alius vero cum accidens in subiecta dividimus, tertius autem cum accidens in accidentia secamus. Et hoc ita fit, hoc est quod accidens dividitur in accidentia, si utraque accidentia, hoc est divisum et dividencia, videantur inesse eidem subiecto.

Hoc dicto sequitur pars altera in qua exemplificat dicens <8.3> quod genus in species dividimus quando dicimus ‘animalium alia rationalia, alia

¹ ipso] o cum littera a suprascripta praebet M.

irrationalia'. Et ponit circa hoc talem regulam quod oportet omnem divisionem generis in species esse in duas partes aut in plures, quoniam species generis non possunt infinitae neque minus duobus.

Hoc dicto exemplificat de divisione totius in partes, et hoc tam in partes quantitativas quam in essentielles quam secundum rationem, dicens <8.9> ut cum dico 'domus aliud tectum, aliud paries, aliud fundamentum'. Postea ponit exemplum de partibus essentialibus cum dicit: <8.11> et hominem coniungi ex anima et corpore. Postea de partibus secundum rationem, cum dicit <8.12> Vergilium et Ciceronem esse partes hominis.

Hoc dicto exemplificat de divisione vocis in significationes <8.16>, ut cum dicimus 'canis aliud latrabile, aliud caeleste, aliud marinum'. Sed huius divisionis duplex est modus, quoniam aut unum nomen multa significat, sicut in exemplo patet quod praeposuimus, aut erit oratio composita ex nominibus et verbis, ut 'aio te Aeacida¹ Romanos vincere posse', quia potest esse sensus quod Romani vincant vel quod vincantur. Et illa quae est nominis nuncupatur partitio aequivocationis, illa vero quae est orationis appellatur distinctio ambiguitatis, quam Graeci vocant vel dicunt amphiboliam.

Hoc dicto ponit exemplum de divisionibus secundum accidentia, dicens <10.1> quod divisio subiecti in accidentia est cum dico 'hominum alii albi, alii nigri, alii medio colore colorati', accidentis vero in subiecta ut cum dicimus 'bonorum alia sunt animae, alia sunt corporis', accidentis vero in accidentia ut cum dicimus 'alborum alia sunt dura ut margarita, alia mollia ut lac'. Et huiusmodi divisio in alterutrum permutatur, quod est econverso facere divisionem, sc. de diviso dividencia et econverso de dividenticibus divisum. Et differt huiusmodi divisio, sc. quae est secundum quod accidens dividitur in accidentia, ab omnibus quae supradictae sunt, sc. ab illa quae est generis in species et vocis in significationes et totius in partes, quoniam in illis non contingit facere de diviso dividencia et econverso sicut in ista quae est accidentis in accidentia.

Hoc dicto sequitur pars altera in qua ponit² differentiam inter huiusmodi divisiones, et primo inter divisionem secundum se ad illas quae sunt per accidens, deinde inter illas quae sunt secundum se. Circa primam partem

¹ Aeacida] eacide **M**.

² ponit] *variam lectionem assignat supra ponit additam habet* **M**.

sic procedit dicens <10.30> quod istae divisiones –sc. generis in species, vocis in significationes, totius in partes– differunt ab aliis eo quod illae vocantur secundum se, aliae vero secundum accidens.

Hoc dicto assignat differentiam inter divisiones secundum se. Et primo inter divisionem generis in species et vocis in significationis, et deinde inter divisionem generis in species et totius in partes, et ultimo inter divisionem vocis in significationes et totius in partes.

Circa primam partem sic procedit dicens <10.33> quod divisio vocis in significationes differt a divisione generis in species eo quod vox semper separatur in /145rA/ significationes proprias, genus vero non sed in quasdam procreationes, et genus est totum speciei et universalius in natura, sed aequivocatio est universalior significatione, et hoc in voce, tamen illa aequivocatio non est totum in natura illorum significatorum. Praeterea, divisio vocis in significationes non habet aliquid commune nisi nomen, sed illa quae sunt sub genere habent commune nomen generis et definitionem generis. Praeterea, divisio vocis in significationes non est eadem apud omnes, sed illa quae est generis est eadem apud omnes. Unde fit quod divisio vocis pertineat ad impositionem et consuetudinem, generis vero ad naturam, quoniam <quod> est a natura est idem apud omnes, illud vero quod consuetudinis est apud diversos permutatur.

Hoc dicto assignat differentiam inter divisionem generis in species et totius in partes dicens <12.17> quod differunt per hoc quod divisio totius fit per quantitatem, sed illa quae est generis perficitur qualitate, quoniam cum locavero hominem sub animali, tunc divisio perfecta est qualitate, hoc est differentia significante vel praedicante in quale, et propter hoc formatur illa divisio a quadam qualitate. Praeterea omne genus naturaliter prius est \suis/ speciebus, totum vero suis partibus posterius est. Unde quando genus dividitur divisio fit in posteriora, quando vero totum dividitur divisio fit in priora. Et hinc est quod interempto genere interimitur species et non econverso, quoniam perempto priori perimitur posterius, sed non econverso; quoniam si totum interimatur non interimitur pars, sed potius econverso. Praeterea genus est materia speciebus et non totum partibus, sed multitudo partium est materia, totum vero forma. Praeterea, species idem est quod genus, hoc est genus praedicatur de specie, sicut animal de homine et habitus de virtute, sed partes non semper idem sunt quod totum, hoc est totum non semper praedicatur de unaquaque sua parte, quoniam

manus non est idem quod homo nec possum dicere quod manus sit homo. Et hoc est evidens in hiis totis quae habent partes dissimiles, sicut in domo, quoniam domus non potest praedicari de suis partibus; sed non est clarum in hiis totis quae habent partes similes, sicut aes et panis, quia ibi videtur quod totum possit praedicari de partibus, quoniam quaelibet pars aeris est aes et quaelibet pars panis est panis.

Et solvit ad hoc dicens <14.19> quod partes et totum sunt idem in substantia¹ quoniam partes possunt recipere definitionem totius, non tamen sunt idem in quantitate, non enim quaelibet pars aeris est totum aes.

Hoc dicto sequitur pars altera in qua assignat differentiam inter divisionem vocis in significationes et totius in partes, dicens <14.21> quod differunt in hoc quod totum constat ex partibus, vox vero non constat ex hiis quae significat vel in quae dividitur. Praeterea, divisio totius fit in partes, vocis vero non in partes sed in eas res quas vox ipsa significat. Unde fit quod sublata una parte totum pereat, non autem sublata una re quam significat vox multa significans peribit illa vox sed permanet.

Ordo

Ordo huius partis ad praecedentem patet, quoniam sicut prooemium ante executionem, sic prima pars ante secundam sive istam. Item, sicut prius est dividere subiectum quam de ipso determinare secundum eius partes, sic pars istius lectionis ante illam quae cras determinabitur. Item, sicut prius est dividere aliquid quam inter membra illius divisionis vel inter membra dividenda assignare differentiam, sic prima pars istius lectionis ante secundam. Item, sicut prius est dividere aliquid quam exemplificare, sic prima pars primae partis ante secundam.

Haec est sententia lectionis, et ordo partium.

Dubia

Sed ad maiorem evidentiam possunt quaedam dubitari.

I. Et primo quare sunt sex divisiones, sc. tres per se et tres per accidens, et non plures nec pauciores. Et similiter de ordine ipsarum.

¹ substantia *scripsi coll.* Boeth. *Divis.* 14.19] subiecto **M**.

Ia Et videtur primo quod plures deberent esse, quoniam, sicut ipse dicit in Littera, omne compositum contingit dividi in ea ex quibus componitur; ergo, cum species componatur ex genere et differentia, manifestum est quod ipsam contingit dividi in genus et differentias; sed istam divisionem non ponit; quare videtur quod plures debent esse quam ponat.

Ad Ia Ad hoc dicendum quod omne compositum contingit dividi in ea ex quibus componitur. Et concedo quod species potest dividi in genus et differentiam, et haec divisio non deficit, sed potius reponitur sub divisione totius in partes, sub illa sc. de qua dicit quod totum dividitur /145rB/ in materiam et formam.

Ib Sed hoc videtur esse contra Litteram, quae dicit quod genus non dividitur in species nec econverso, sicut accidens in accidentia et econverso. Tu autem dicis in solutione quod species dividatur in genus et differentias; quare videtur quod tu dicas contra Litteram.

Ad Ib Ad hoc dicendum quod non est contra Litteram, quoniam cum dicit quod genus non dividitur in species et econverso, intendit quantum ad uniformem divisionem, sicut fit accidentis in accidentia, quia utrobique est divisio accidentis in accidentia; tamen cum species dividitur in suum genus et suas differentias, divisio non est uniformis, quia statim redit in divisionem quae est totius in partes.

Ic Item, adhuc videtur quod debeant esse plures, quoniam sicut contingit dividere hoc universale quod est genus, similiter et alia, sc. speciem, differentiam, proprium et accidens; cum autem non ponat huiusmodi divisiones, videtur quod sit insufficiens.

Ad Ic Ad hoc dicendum quod non propter hoc debent esse plures, quoniam istae de quibus tu obicis continentur sub aliis. Unde bene concedo quod differentia potest dividi et species et proprium, non in quantum proprium sed in quantum accidens, quoniam in quantum proprium uni soli convenit et non in quantum accidens; sed divisio differentiae continetur sub genere, quoniam sicut dicit Aristoteles in Topicis,¹ differentia, cum sit generalis, sub genere collocanda est, et divisio speciei continetur sub divisione totius, sicut superius ostensum est, divisio vero proprii continetur

¹ Arist., *Top.* I.4.101b18-19.

sub divisione accidentis, quoniam proprium non dividitur nisi in quantum accidens.

Id Item videtur quod adhuc debeant esse plures, quoniam sicut vox dividitur per significata, similiter significatum dividitur per voces, quoniam una res potest habere plures voces sicut una vox plura significata; cum autem non ponat huiusmodi divisionem videtur esse insufficiens.

Ad Id Ad hoc dicendum quod talem divisionem non debuit ponere, quoniam a signo nata est nobis via ad signatum, sed non a signato ad signum. Et propter hoc, cum vox sit signum et res significatum, debuit vox dividi in significationes et non econverso.

Ie Circa hoc quaeritur, cum habeamus divisionem subiecti in accidentia et accidentis in subiecta et accidentis in accidentia, quare non habeamus divisionem subiecti in subiecta. Videtur ergo quod illa divisio nobis deficiat.

Ad Ie Ad hoc dicendum quod non deficit, sed habemus eam, cum divisum et dividenda sint subiecta.

If Postea videtur quod debeant esse pauciores, quoniam unicuique compositioni respondet sua divisio; sed non est nisi quadruplex compositio; ergo non debent esse nisi quattuor divisiones. Ipsa autem ponit plures, quare videtur esse superfluum. Quod autem non sint nisi quattuor compositiones videtur vel patet, quoniam quaedam est compositio logica sicut illa quae est ex genere et differentiis, quaedam mathematica sicut illa quae est compositio quantitatum, quaedam \naturalis¹ ut/ elementorum in mixto, quaedam metaphysica ut in intelligentiis.

Ad If Ad hoc dicendum quod plures sunt compositiones et plures divisiones quam istae compositiones de quibus tu obicis, quoniam illae compositiones de quibus \tu/ obicis sunt solum totius in partes; unde sunt aliae [[secundum]] compositiones sicut vocis cum² significationibus et accidentis cum substantia, et ideo aliae possunt esse divisiones istis compositionibus correspondentes.

Ig Item videtur quod subiectum non possit dividi in accidentia, quoniam non componitur ex accidentibus; sed nihil dividitur in illud ex quo non

¹ naturalis] *lectio incerta*.

² cum] in **M** a.c.

componitur; ergo subiectum non dividitur in accidentia. Ipse autem dicit quod sic. Quare videtur mentiri.

Ad Ig Ad hoc dicendum quod illa propositio “Nihil habet dividi nisi in ea ex quibus componitur” intelligenda est de divisione per se. Unde, cum in divisione subiecti in accidentia non sit divisio per se sed per accidens, nihil impedit quin subiectum possit dividi in accidentia, quamvis ex ipsis non componatur, sed potest in ipsa dividi quoniam habent esse in partibus ipsius subiecti.

Ih Postea videtur quod prius debeat determinare de divisione totius in partes quam de aliis, quoniam in omnibus aliis intelligitur.

Ad Ih Ad hoc dicendum quod uno modo in aliis intelligitur, alio modo non. Quia potest considerari secundum quod in omni divisione divisum se habet per modum totius et dividenda per modum partium, et hoc modo intelligitur in omni divisione et non separatur ab aliis; vel potest considerari in quantum illa quae est totius fit per quantitatem, alia vero quae est generis per qualitatem, et sic una non intelligitur in altera, et quantum ad hoc non attenditur¹ ordo, sed in quantum principaliter intenduntur;² et quia principaliter intelligitur divisio generis in species quam aliae, quoniam ipsa erat de esse ipsius dialecticae, aliae vero de bene esse, /145vA/ sicut superius in principio dicebatur, propter hoc de divisione generis in species primo debuit determinare.

Sed hoc modo sumitur ordo et sufficientia istarum divisionum, quoniam divisio aut est per se aut per accidens, et sicut per se ante per accidens, ita primae tres ante alias tres divisiones. Si per se, aut est divisio rei in rem aut vocis in rem sive signi. Si rei in rem, sic est divisio totius in partes et generis in species. Si signi in rem, sic est divisio vocis in significationes, et sicut est prius dividere rem in rem quam signum in rem, sic primae duae ante tertiam. Si rei in rem, aut totum salvabitur in qualibet sui parte aut non. Si salvatur in qualibet sui parte, sic est vel sumitur divisio generis in species. Si non, sic est divisio totius in partes, et sicut prius est illud quod salvatur in qualibet sui parte quam illud quod non salvatur in qualibet sui parte, sic prima divisio ante secundam. Et sic patet ordo et sufficientia istarum divisionum.

¹ attenditur] *variam lectionem* vel intelligitur *supra* attenditur *praebet M.*

² intenduntur] *variam lectionem* vel intelliguntur *suprascriptam praebet M.*

2. Secundo videtur quod omnis divisio sit per¹ alterum et nulla per se, quoniam idem per se non dividitur, sed per aliud, quoniam dividenda semper alia sunt a diviso et numquam eadem cum ipso.

Ad 2 Ad hoc dicendum quod ‘per se’ non sumitur ibi quod sit nomen reciprocum et non per alterum, sicut patet in divisione generis cum dico sic ‘animalium aliud rationale, aliud irrationale’, hoc quod dico ‘rationale’ vel ‘irrationale’ participat naturam animalis quod est divisum per se et non per alterum. Hoc autem non est in divisione per accidens, sc. quod dividenda participant divisum per se et non per alterum, sicut patet in ista divisione ‘hominum alii sunt albi alii sunt nigri, alii medio colore colorati’, non enim hoc quod dico ‘album’ vel ‘nigrum’ participat hominem per se sed per aliud, sc. per partes ipsius hominis.

3. Tertio videtur quod omnis divisio sit per accidens, quia omnis divisio est per alterum; sed omnis divisio quae est per alterum est per accidens; ergo omnis divisio est per accidens.

Ad 3 Ad hoc dicendum quod divisio per alterum potest esse dupliciter, sc. quod illud ‘per alterum’ sit <per quod fit> omnis divisio, et sic dico quod divisio per alterum est divisio per se; vel ‘per alterum’ sit medium per quod participat naturam divisi, et hoc modo omnis divisio per alterum est divisio per accidens.

4. Quarto quaeritur de hoc quod ipse dicit divisionem per se esse. Videtur enim quod nulla illarum divisionum quas ponit sit per se, quia non est ibi aliquis modorum per se qui determinantur in libro Posteriorum.²

Ad 4 Ad hoc dicendum quod nullus illorum est hic, quoniam ibi intendit de modis praedicandi per se, hic vero de modis dividendi per se.

5a Quinto quaeritur de hoc exemplo divisionis totius in partes quod ipse ponit in Littera, ut ‘hominum alius Socrates, alius Plato’.³ Videtur enim malum exemplum ponere, quoniam totum, sicut ipse dicit, non debet

¹ per alterum et nulla per se *Hansen*] per se et nulla per alterum **M**.

² Arist., *APo.* I.4.

³ *Exemplum non est Boethii, qui 8.13 Catonem, Vergilium et Ciceronem exemplorum gratia adhibet.*

praedicari de partibus ipsius; sed hoc quod dico homo¹ praedicatur de Socrate et Platone; quare videtur malum exemplum ponere.

5b Ad hoc melius videndum quaeritur quare divisio totius perficitur quantitate, generis vero qualitate.

Ad 5b Ad ultimum istorum dicendum quod hic non sumitur qualitas vel quantitas quae est genus rerum, sed illa quae est substantialis, et sic non magis perficitur ab uno praedicamento quam ab alio. Sed divisio totius habet perfici quantitate, quoniam totum habet partes, pars autem quanta est, et sic habet perfici talis divisio ab ipsa quantitate; divisio vero generis habet perfici qualitate, hoc est a differentia quae praedicatur in quale.

Ad 5a Unde dico quod homo vel animal non praedicatur secundum totum de qualibet sua parte sive secundum sui totalitatem, sed secundum sui partem, quoniam si totum animal praedicaretur de homine et de asino, sic sequeretur quod homo et asinus essent idem, quod est inconveniens. Sed praedicatur de ipso secundum sui formam et definitionem, unde illud exemplum 'hominum alius Socrates, alius Plato' satis est competens [[et]] in toto, quoniam quamvis praedicatur, non tamen secundum sui totalitatem praedicatur.

Sed videtur esse instantia in totis homogeneis sicut in aere et pane. Et appellatur homogeneum quod habet partes consimiles,² <et appellatur heterogeneum quod habet partes dissimiles,> sicut domus. Unde in totis homogeneis videtur esse instantia, quoniam quaelibet pars aeris est aes, et ipsum totum praedicatur de qualibet sui parte <sed non> secundum sui totalitatem sive quantitatem, sed ratione qualitatis, hoc est ratione definitionis. Similiter dicendum est de pane.

6. Sexto quaeritur quare non dividat vocem in significantia secundum accentum et figuram dictionis et compositionem et divisionem sicut facit secundum aequivocationem et amphiboliam.

Ad 6 Ad hoc dicendum quod ipse non ponit divisionem cuiuslibet vocis, sed vocis simpliciter; sed in compositione et divisione non erat vox eadem simpliciter, et propter <hoc> in illis non debuit dividere. Similiter in

¹ homo] hominum *M a.c.*

² consimiles] consimilem *M.*

accentu non erat eadem simpliciter sed secundum materiam. Similiter in figura dictionis non erat eadem sed similis.

7. Septimo et ultimo quaeritur de hoc quod ipse dicit¹ quod hic est divisio generis in species ‘animalium alia rationalia alia irrationalia’, quia videtur esse falsum, quoniam rationale et irrationale sunt differentiae et non species.

Ad 7 Ad hoc dicendum quod ibi est divisio generis in species, sc. in propinquas species; sed quia nomina non sunt posita illis propinquis speciebus, propter hoc ponit nomina differentiarum pro nominibus specierum.

Et sic patet solutio ad omnia quae circa hoc quaerebantur.

¹ Boethius, *Divis.* 8.3-4.

LECTIO 3^a

<14.27 / 880a> **NUNC ERGO QUONIAM SECUNDUM SE DIVISIONIS DIFFERENTIAE DICTAE SUNT etc.**

Divisio & ordo

Terminata parte illa in qua divisit Auctor nomen divisionis et illa in qua ostendit membra illa per quae dividebatur esse opposita, consequenter sequitur pars illa in qua determinat de unaquaque divisione secundum se.

Haec autem pars dividitur primo in duas partes, in quarum prima determinat de divisionibus secundum se, in secunda parte de illis secundum accidens; et sicut per se ante per accidens, ita prima pars ante secundam. Prima pars incipit hic Nunc ergo etc., secunda ibi <48.15> Nunc autem de hiis divisionibus dicemus quae secundum accidens sunt.

Item, prima pars dividitur in tres partes, in quarum prima determinat de divisione generis in species, et in secunda de divisione totius in partes, in tertia de divisione vocis in significationes; et sicut prius est dividere rem in rem quam signum in rem, sic primae duae divisiones ante tertiam. Item, sicut prius est illud quod salvatur in qualibet sui parte quam quod non, sic prima divisio ante secundam. Prima pars incipit hic Nunc ergo etc., secunda ibi <38.17> Nunc de ea divisione, tertia ibi <42.1> Restat igitur etc.

Item, prima pars dividitur in duas partes, sc. in prooemium et executionem. Prima pars incipit hic Nunc ergo, secunda ibi <14.29> Genus est quod praedicatur de pluribus.

Prima pars remanet indivisa, sed secunda dividitur in tres partes, in quarum prima determinat prout est via a diviso ad dividentia, et in secunda parte prout est via ad definitionem, et in tertia parte comparat illa quae ponuntur in definitione ad ea quae ponuntur in divisione. Et sicut prius est terminare de aliquibus secundum viam principiorum vel secundum eorum principia quam comparare ipsorum principia ad se invicem, sic primae duae partes ante tertiam. Item, sicut prius est determinare de aliquo prout est via in se vel sibi quam prout est via alteri, sic prima pars ante secundam. Prima pars incipit hic Genus est, secunda ibi <32.16> Hanc igitur insistentibus, tertia ibi <38.1> Illud quoque dicendum est.

Item, prima pars dividitur in duas partes, in quarum prima determinat de hiis quae exiguntur ad divisionem generis secundum eorum substantiam, in secunda parte secundum eorum proprietates; illa enim quae exiguntur ad divisionem generis secundum substantiam sunt tria, sc. genus, differentia et species: genus quod dividatur, differentiae per quas, species in quas.

Et patet ordo istarum partium, quoniam sicut prius est determinare de aliquibus secundum eorum substantiam vel essentiam quam secundum eorum proprietates, sic prima pars ante secundam. Prima pars incipit hic Genus est, secunda ibi <18.4> Sunt autem aliae differentiae.

Sententia & ordo

Circa primam partem sic procedit dicens quod dictae sunt differentiae divisionis secundum se, hoc est dictum est qualiter differat una divisio per se ab alia, sed nunc distributio generis pertractetur, et primum definiendum est quid est genus.

Hoc dicto sequitur pars executiva in qua dicit <14.29> quod genus praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid est, species vero est quam sub genere collocamus, differentia est qua proponimus distare aliud ab alio. Et ostendit quod genus praedicatur in quid quoniam convenienter respondetur ad interrogationem factam per ‘quid’, et differentia in quale quoniam respondetur ad interrogationem factam per ‘quale’.

Hoc dicto dicit <16.6> quod genus aliquando dividitur in species, quandoque in differentias. In differentias ut quando non sunt nomina imposita ipsis speciebus, quoniam si nomina essent ipsis speciebus posita, tunc omnis divisio fieret per duo membra, quia si huic quod dico ‘animal /146rA/ rationale’ esset nomen impositum, tunc cum reliqua differentia iunctum, ut cum mortali, posset perficere definitionem. Et quia forte aliquis posset ei obicere quare determinaret de definitione, dicit propter hoc quod versantur definitio et divisio in eadem materia, quoniam divisionibus iunctis componitur una definitio¹; et similiter ipsa definitio necessaria est ad ipsam divisionem, [[ideo ex incidenti determinat de definitione]] quoniam per definitionem cognoscimus quid aequivocum et

¹ definitio] divisio *M a.c.*

quid univocum, et ita¹ divisio est tam univoci quam aequivoci, quoniam generis in species, et sic ipsa definitio ex consequenti necessaria est ad divisionem.

Hoc dicto sequitur pars altera in qua determinat de istis principiis divisionis secundum eius passiones sive condiciones, hoc est de condicionibus ipsius differentiae sive differentiarum per quas habet esse divisio. Et istae condiciones sunt quinque, quoniam oportet quod illae differentiae per quas fit divisio sint per se, oppositae, primae, notae et convertibiles. Et in parte ista, quae spectat ad praesentem lectionem, cum praecedentibus determinat duas istarum condicionum, sc. quod sint² per se et oppositae. Et ista pars terminatur ibi <28.25> Dignum vero inquisitu etc., et ista pars potest dividi in duas partes, in quarum prima determinat quod differentiae sint per se et in secunda quod sint oppositae. Prima pars incipit hic <18.4> Sunt autem differentiae aliae per se, secunda ibi <20.13> Quoniam vero quaedam sunt quae differunt.

Circa primam partem sic procedit dicens quod quaedam sunt differentiae per se, quaedam per accidens, et illarum quae sunt per accidens quaedam sunt separabiles, ut sedere, stare; quaedam inseparabiles, ut crispitudo et huiusmodi. Et illa differentia sola quae est per se est necessaria ad definitionem generis et ad divisionem generis.

Hoc dicto sequitur pars altera in qua dicit quod istae differentiae per quas fit divisio debent esse oppositae, et primo quod debent esse oppositae in generali, et postea in speciali. Prima pars incipit hic <20.13> Quoniam vero quaedam sunt, secunda ibi <20.20> Sunt autem quattuor oppositiones.

Circa primam partem sic procedit dicens quod divisio non solum debet esse per ea quae differunt, sed oportet quod illa sint opposita, quoniam quaedam sunt quae differunt quae non debent poni in divisionibus, sicut rationale et bipes, unde nullus faciat divisionem per illa, quoniam nullus dicit ‘animalium aliud rationale, aliud bipes’. Unde oportet illas differentias per quas fit divisio esse oppositas.

¹ ita – in species] *an ista divisio est tam univoci quam aequivoci, sc. generis in species scribendum?*

² sint] sunt **M**.

Hoc dicto sequitur pars altera in qua dicit in speciali qualiter debent esse oppositae. Circa quam sic procedit dicens <20.20> quod quattuor sunt¹ oppositiones, sc. contrarietas, privatio et habitus, contradictio, relatio. Sed <oportet> quod illae differentiae per quas fit divisio sint oppositae aliquo istorum modorum. Dicit quod aliquando sunt oppositae ut habitus et privatio, ut quando nomen non est positum alteri differentiarum, sed tamen secundum rem non opponuntur ut privationes sed ut contrariae. Sed quia nomen non est positum alteri differentiarum induit modum privationis et habitus. Aliquando opponuntur ut contraria. Sed contraria sunt dupliciter: mediata et immediata; propter hoc possunt opponi dupliciter, sed quando opponuntur ut contraria mediata, tunc oportet divisionem fieri per tria membra ad minus; quando vero per immediata, tunc per duo; et aliquando fit oppositio per contradictorie opposita, sed tunc oportet quod affirmatio praecedat negationem, quoniam finitum prius est quam infinitum. Sed non fit per relative opposita, quoniam non differunt per substantialem differentiam, sed unum sequitur ad alterum.

Hoc dicto sequitur pars altera in qua recapitulat <28.17> quod cum sint quattuor oppositiones dictae per quas fit divisio, opponuntur ut affirmatio et negatio aut ut privatio et habitus, sed non in quantum privatio, sed in quantum habent modum contrariorum. Sed maxime opponuntur ut contradictoria, minime ut relativa.

Haec est sententia lectionis et ordo partium.

Dubia

Sed ad maiorem evidentiam possunt quaedam dubitari.

1. Et primo de hoc quod determinat hic de differentia. Videtur enim male facere, quoniam quod in hac parte genus non dividatur in differentias patet, quoniam genus praedicatur de hiis in quae dividitur, sed non praedicatur de differentia, sicut dicit Aristoteles in quarto Topicorum;² ergo non potest dividi in differentias.

Ad 1 Ad hoc dicendum quod genus non dividitur in differentias, sed quando est penuria vocabulorum specierum, hoc est quando /146rB/ nomina

¹ sunt] sint M.

² Cf. Arist., *Top.* IV.6.128a20-29.

non sunt posita speciebus. Unde quando dividitur in differentias, differentiae non ponuntur ibi secundum se sed secundum quod ponuntur pro nominibus specierum.

Vel aliter dicendum, sc. quod genus non dividitur in differentias sed in species, sed per differentias potest dividi in species ita quod differentiae sint medium per quod fit divisio, species vero termini divisionis.

2. Secundo quaeritur quare determinat condiciones differentiae potius quam generis vel speciei.

Ad 2 Ad hoc dicendum quoniam differentia¹ dicebatur multipliciter, quia quaedam erat proxima, quaedam remota, quaedam opposita et quaedam non, quaedam convertibilis, quaedam non. Et non fiebat ex omnibus divisio, quoniam non fiebat neque ex oppositis neque \ex/ ignotis neque ex remotis neque ex non convertilibus, sed ex hiis. Et propter hoc oportuit quod omnes istas condiciones differentiarum determinaret et non condiciones generis neque speciei, quoniam omne genus aut est generalissimum aut subalternum, et sive istud sive illud, bene potest ingredi [[in]] definitionem sive divisionem. Similiter omnis species aut est specialissima aut subalterna, et sive haec sive illa, potest in ipsas fieri divisio, et propter hoc istorum duorum condiciones non determinavit.

3a Tertio quaeritur de definitione ipsius generis, quae talis est: genus est quod praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid est. Quod non videtur, \quia/ secundum hoc videtur quod sit aliquid commune secundum nomen et secundum rationem decem praedicamentis, quoniam sunt genera et praedicantur de pluribus differentibus specie in eo quod quid est; sed inconueniens est quod aliquid sit commune illis decem, sicut dicit Aristoteles;² ergo definitio generis quam hic assignat est inconueniens.

Ad 3a Ad hoc dicendum quod definitio generis quam hic ponit est bene assignata³ non est eis aliquid commune univocum sed analogum, hoc est secundum prius et posterius, quoniam hoc quod dico 'quid' †in aliud† debet praedicari, ergo per prius dicitur de substantia quam de aliis,

¹ differentia *Hansen*] divisio **M**.

² Arist., *Ph.* III.1.200b34-35.

³ ...] 1-2 *voces illegibiles M*.

quoniam de¹ substantia dicitur secundum rem et secundum modum, de aliis vero secundum modum solum, et sic non est unum, neque definitio² una, sed dicitur secundum prius et posterius.

3b Item, circa hoc quaeritur quare non ponit hic istam definitionem speciei “species est quae praedicatur de pluribus etc.”, et quare potius istam “species est quae ponitur sub genere”.

Ad hoc dicendum quod hic intendit tam de specie subalterna quam de specialissima, et ista definitio erat solum speciei specialissimae, et propter hoc istam definitionem non ponit sed ponit secundam, quoniam conveniebat tam speciei specialissimae quam subalternae, quarum unaquaeque est sub genere.

3c Item, circa hoc quaeritur de definitione differentiae, quae talis est: “Differentia est qua differt aliquid ab aliquo”. Videtur esse male assignata, quoniam non est convertibilis cum definito, quoniam multa a se invicem differunt, non tamen per differentiam, sicut generalissima differunt a se invicem, differt enim substantia a quantitate et ab aliis, non tamen per differentiam; et sic videtur quod definitio illa non sit convertibilis, et sic male est assignata.

Ad hoc dicendum quod generalissima differunt sine illa differentia et per se, tamen quaedam differunt per medium et alia differunt per differentiam. Unde, quando Auctor dicit “Differentia est qua differunt a se singula”, intelligit de singulis differentibus \per se sive/ per medium; tu autem obicis de differentibus per se, et propter hoc obiectio nulla est.

3d Item, circa hoc quaeritur de hoc quod ipse dicit quod differentia praedicatur in quale, Aristoteles³ vero dicit quod praedicatur in quid; quare videtur sibi contradicere.

Ad 3d Ad hoc dicendum quod quando Aristoteles dicit quod praedicatur in quid intelligit secundum rem; quando vero iste dicit quod praedicatur in quale intelligit secundum modum ordinandi in linea praedicamentali,

¹ de substantia dicitur secundum rem et secundum modum &c.] *eodem modo loquendi usus est <Nicolaus> in Rationibus super Praedicamenta. Vide H. Hansen, John Pagus on Aristotle's Categories, Ancient and Medieval Philosophy S. 1, vol. 45, Leuven 2012, p. 74* n. 62.*

² definitio Hansen] differentia M.

³ Arist., *Top.* VII.3.153a17-18; cf. IV.6.128a20-21.

quoniam non ordinatur in recta linea sed a latere in obliquo; et illa quae ordinatur recte, praedicatur in quid; alia vero, quae oblique, in quale. Et propter hoc dicit quod praedicatur in quale, hoc est secundum modum ordinandi in linea praedicamentali.

4a. Quarto quaeritur, cum divisio sit necessaria ad definitionem et definitio ad divisionem, quae istarum sit prior.

4a.1 Et videtur quod definitio, quoniam definitio est per priora et divisio per posteriora; ergo definitio est prior divisione.

4a.2.1 Si hoc concedatur, oppositum videtur, quoniam divisio est via ad definitionem, sicut dicit in Littera; sed via prior est quam illud cuius est via; ergo divisio prior est quam definitio.

4a.2.2 Item, hoc idem videtur alia ratione, quoniam divisio est generis et definitio /146vA/ speciei; sed prius est genus quam species; ergo prior divisio quam definitio.

Ad 4a Ad hoc dicendum quod definitio et divisio possunt considerari secundum quod sunt diversarum rerum aut secundum quod definitio est unius rei et divisio alterius, vel prout sunt eiusdem rei.

Ad 4a.2.1-2 Si primo modo, sic divisio prior est, et sic procedunt istae ultimae obiectiones.

Ad 4a.1 Si sunt eiusdem rei, sic definitio prior est divisione, et sic procedit prima obiectio.

4b Item, circa hoc videtur quod ista necessitas sit circularis: definitio sequitur ad divisionem et divisio ad definitionem, quia sic idem esset sibi notum, quod est inconueniens.

Ad 4b Ad hoc dicendum quod non est circularis, quoniam non sunt uniformis necessitatis, quia alio modo est necessaria divisio ad definitionem et definitio ad divisionem, quoniam est necessaria divisio ad definitionem quantum ad substantiam, definitio vero non ad divisionem secundum substantiam sed secundum consignificationem, ut sic cognoscamus quid¹ aequivocum et univocum, et sic non est circularis necessitas, quon-

¹ quid] *fortasse exp. M.*

iam non eodem modo sequitur ad alterum sed diversimode, quemadmodum ostensum est.

5. Quinta quaestio est de hoc quod ipse dicit¹ quod istae differentiae ‘glaucitas oculorum’ ‘crispitudo capillorum’ sunt differentiae per accidens. Videtur hoc esse falsum, quoniam sunt propriae passiones istarum substantiarum, et glaucitas est propria passio oculorum et crispitudo capillorum; sed propriae passiones per se dicuntur de suis subiectis in secundo modo dicendi per se, quoniam secundus modus est secundum quod propriae passiones dicuntur de propriis subiectis; sed ipse ponit esse per accidens; quare videtur esse falsum.

Ad 5 Ad hoc dicendum quod Auctor dicit istas differentias esse per accidens quoniam possunt esse per accidens quantum ad primum modum dicendi per se, quoniam primus modus est secundum quod definiuntur de definito, et quantum ad hoc sunt per accidens quoniam non dicuntur de definito nec sunt definiuntur, et sic intellexit Auctor hic quando dixit quod erant secundum accidens.

6. Sexto quaeritur de hoc quod ipse dicit² quod istae differentiae ‘posse numerare’ ‘geometriam addiscere’ non possunt separari ab homine nec actu nec ratione.

6.1.1 Hoc videtur esse falsum, quoniam omne illud potest separari ab altero quod non cadit in definitione ipsius; sed istae passiones sive differentiae non cadunt in definitione hominis; ergo possunt separari ab ipso.

Quidam ad 6 Ad hoc dicunt quidam quod non possunt separari ab ipso.

Quidam ad 6.1.1 Et respondent ad argumentum quod quamvis illae passiones non sint definiuntur ipsum subiectum, non tamen sequitur propter hoc quod possint separari ab ipso, quoniam ipsae definiuntur per subiectum.

Contra quosdam Sed hoc nihil est quod dicunt.

6.1.2 Sed videtur Auctor adhuc mentiri, quia sicut propria passio coraci est nigredo, tamen possum ipsum intelligere sine nigredine; similiter et hominem sine potentia numerandi.

¹ Boethius, *Divis.* 18.4-8.

² Boethius, *Divis.* 20.1-5.

Ad 6 Sed dicendum est aliter sustinendo Auctorem quod huiusmodi potentiae sunt a parte intellectus possibilis ipsius animae, et sicut impossibile est ipsam animam intelligere sine intellectu possibili, similiter impossibile est intelligere hominem sine potentia numerandi quamdiu erit in ipsa anima.

Ad 6.1.1 Si autem quaeratur quare ergo non definitur per istas differentias, cum sint inseparabiles, ad hoc patet solutio, quoniam definitio debet assignari per nobiliorem differentiam, et quia nobiliores differentiae sunt in homine quam istae, sc. ‘rationale’ ‘mortale’, cum sint ab intellectu agente et intellectus agens sit nobilior quam passibilis, propter hoc non debuit definiri per istas differentias.

7a Septimo quaeritur de ordinatione oppositionis, quoniam primo ordinat contrarietatem, postea privationem et habitum, postea contradictionem, postea relative opposita; secundo ordinat aliter, sc. primo contradictionem, postea privationem et habitum, postea contrarietatem, ultimo relationem. Unde videtur sibi contradicere, quoniam superius fecit e converso.

Ad 7 Ad hoc dicendum quod diversimode ordinat secundum diversos respectus, quia primo ordinat ipsa secundum quod [[sunt¹ dicentes maiorem oppositionem inter se, et quia magis opponuntur quae opponuntur ut contraria quam ut privativa, et privativa quam ut contradictoria, et minus opponuntur quae opponuntur ut relativa]] \magis² competunt dividendum ipsum genus, et quia magis competunt contraria quam privativa et privativa quam contradictoria et contradictoria quam relativa, / hoc modo primo ordinavit contraria, secundo privativa, tertio contradictoria, ultimo relativa. Postea, quando primo contradictoria ordinat, /146vB/ secundum quod magis opponuntur ordinat. Unde non contradicit sibi, cum hoc faciat habendo diversos respectus.

7b Item, circa hoc quaeritur de sufficientia oppositionum, et penes quid sumantur.

Ad 7b Ad hoc dicendum quod omnis oppositio est duorum a<d> se invicem. Aut ergo utrumque istorum erit ponens aliquid vel tantum alterum ponit aliquid et reliquum non. Si utrumque ponit aliquid, hoc est dupliciter:

¹ sunt – relativa] *per* ^{va} – ^{cat} *del.* **M**^{corr}.

² magis – ordinat] *in mg. add.* **M**^{corr}.

aut cum dependentia, et sic sunt relativa; aut sine dependentia, et sic sunt contraria. Si alterum istorum ponit aliquid, hoc iterum est dupliciter: aut cum dependentia, et sic sunt privativa; aut sine dependentia, et sic sunt contradictoria.

8a Octavo quaeritur de hoc quod ipse dicit quod negatio non est species. Videtur esse falsum, quoniam dicit Aristoteles in libro Perihermenias¹ quod affirmatio et negatio sunt species enuntiationis; iste autem dicit quod negatio non est species, quare videtur contradicere Aristoteli.

Ad 8a Ad hoc dicendum quod unus non contradicit alteri, quoniam quando Aristoteles dicit quod negatio est species, intelligit quod est species sermonis, sc. enuntiationis; sed quando Boethius dicit quod non sit species, intelligit quod non sit species rei.

8b Item, circa hoc quaeritur quod ipse dicit quod affirmatio prior est negatione. Hoc videtur esse falsum, quoniam dicit iste (vel² Boethius) in commento super librum Perihermenias³ quod affirmatio et negatio sunt species coaequaevae; ergo nulla prior altera; et sic mentitur cum dicit quod affirmatio est prior negatione.

Ad 8b Ad hoc dicendum quod possunt considerari dupliciter: sc. secundum materiam vel secundum speciem. Si secundum speciem, sic sunt coaequaevae et nulla prior est altera; si secundum materiam, ergo affirmatio prior est negatione, et hoc modo intelligit hic quando dicit quod est prior.

8c Item, quaeritur de hoc quod ipse dicit⁴ quod finitum prius est quam infinitum. Videtur esse falsum, quoniam dicit Aristoteles⁵ quod infinitum contingit principiis; ergo infinitum prius quam finitum.

Ad 8c Ad hoc dicendum quod infinitum potest considerari dupliciter, sc. secundum viam generandi, et sic contingit principiis; vel secundum

¹ Cf. Arist., *Int.* 5.17a8-9. *Interpretationem Porphyrianam ex secundo commentario Boethii super De interpretatione mutuatus est noster.*

² vel Boethius] *varia lectio in textum irrepsisse videtur.*

³ Cf. Boethius, *Int. ed.* 2^a, pp. 17-18 Meiser, *praesertim* 18: "Enuntiatio uero est in qua veritas et falsitas inveniri potest. Qua in re et affirmatio et negatio aequales sunt."

⁴ Boethius, *Divis.* 24.1-2 & 24.25-27.

⁵ *Fortasse* Arist., *Ph.* III.4.203a3 *respicitur.*

viam cognoscendi, et sic prius est finitum quam infinitum; et hoc modo intelligit Auctor hic.

9a Nono quaeritur de hoc quod ipse dicit <24.22-23> quod nomina differentiarum per quas fit divisio aliquando opponuntur ut privationes. Videtur hoc esse falsum, quoniam privationes nihil <ponunt>; sed istae differentiae ponunt aliquid; ergo non opponuntur ut privationes.

Ad 9a Ad hoc patet solutio, quoniam ipse dicit quoniam non opponuntur ut privationes secundum rem sed ut contraria; sed quando nomina non sunt posita differentiis, tunc induunt modum privationis propter penuriam vocabulorum.

9b Item, circa hoc quaeritur de hoc quod ipse dicit quod huiusmodi differentiae opponuntur ut contraria. Videtur esse falsum, quoniam contraria sunt quae sunt posita sub eodem genere et maxime a se distant et mutuo se expellunt; sed istae differentiae non mutuo se expellunt, quoniam quod est rationale [non] potest esse irrationale; ergo non opponuntur ut contraria.

Ad 9b Ad hoc dicendum quod quaedam ponuntur in definitione contrariorum ratione essentiae, sicut quod sint sub eodem genere et maxime distent; quaedam vero ratione operationis, ut mutuo se expellere. Et dico quod differentiae opponuntur ut contraria ratione eorum quae ponuntur in definitione contrarietatis a parte essentiae, et non ratione eorum quae ponuntur a parte operationis. Et propter hoc non sequitur, quamvis \non/ mutuo se expellant, quin possint opponi ut contraria.

9c Item, videtur quod differentiae non sint sub genere, quoniam genus non praedicatur de ipsis; non ergo sunt sub genere.

Ad 9c Ad hoc dicendum quod non sunt sub genere in praedicando, sed bene sunt sub genere in dividendo.

10. Decimo quaeritur de hoc quod ipse dicit <28.13-14> quod divisio non potest fieri per differentias relative oppositas. Videtur esse falsum, quoniam in unoquoque genere contingit descendere a generalissimis ad specialissima descendendo vel dividendo per differentias; sed relatio est unum genus; ergo in ipsa contingit fieri descensum. Sed dicit Aristoteles in *Topicis*¹ quod si genus est ad aliquid, et differentia; /147rA/ ergo per

¹ Arist., *Top.* VI.6.145a14-15.

differentias ad aliquid contingit dividere. Ipse autem dicit quod non. Quare videtur mentiri.

Ad 10 Ad hoc dicendum quod quaedam sunt differentiae in genere relationis quae sunt eiusdem speciei, ut pater et filius; quaedam vero diversarum, sicut similitudo, dominus et servus, quoniam quaedam sunt ibi secundum aequiparantiam, ut similis simili similis, quaedam per superpositionem et suppositionem, ut dominus servus; et ratione istorum diversorum situum [subiciuntur vel] sumuntur diversa nomina specierum in genere relationis. Unde, quando Auctor dicit quod per differentias relationis non fit divisio, intelligendum est “eiusdem speciei”, quoniam illorum esse est omnino ad aliud, <non>¹ est enim alia species dominus, alia servus; sed per illas quae sunt diversarum specierum bene potest fieri divisio et descensus ad specialissima, sicut “relationis alia est species per superpositionem et suppositionem, alia per aequiparantiam”.

Et sic patet solutio ad omnia quaesita.

¹ non *add. Hansen*.

LECTIO 4^a

<28.25 / 884c> **DIGNUM VERO INQUISITU etc.**

Divisio

In praecedenti parte determinavit Auctor duas condiciones differentiae, sc. quod essent specificae sive substantiales et quod essent oppositae. In hac vero parte determinat alias tres condiciones, sc. quod sint proximae, notae et convertibiles. Unde secundum hoc prima pars dividitur in tres partes, in quarum prima determinat de hac condicione quod sint proximae, in secunda quod sint notae, et in tertia quod sint convertibiles. Prima pars incipit hic Dignum vero inquisitu, secunda ibi <30.22> Oportet autem divisionem.

Item, prima pars potest dividi in duas partes, in quarum prima movet dubitationem quandam sive quaestionem, et in secunda determinat illam quaestionem.

Sententia

Circa primam partem sic procedit dicens quod dignum est inquisitu, i.e. inquisitione, utrum divisio debeat fieri in species aut in differentias. Et ponit rationem quod in species debet esse, quoniam definitio divisionis generis est in proximas species, divisio ergo debet esse in species. Sed hoc non potest fieri, quoniam nomina non sunt posita illis proximis speciebus.


Hoc dicto solvit ad hoc dicens <28.31> quod quaedam sunt genera prima, quaedam media, quaedam ultima: prima ut substantia, quoniam supra substantiam non est aliquid reperire quod possit loco generis collocari; medium ut corpus, quoniam habet supra se aliquod genus et sub se; ultimum vero ut animal, quia sub ipso non est genus, quia homo non est genus sed species. Et dicit quod si genus dividatur in species, illa divisio est antiquior, i.e. dignior et nobilior, si non sit indigentia nominum; quoniam si est indigentia nominum specierum, tunc debet esse divisio per differentias.

Hoc dicto dicit <30.6> quod istae differentiae per quas dividitur ipsum genus non debent esse remotae sed proximae, quoniam si dicam ‘substantiarum alia corporea, alia incorporea’ recta est divisio, quoniam

istae differentiae sunt proximae; si vero dicam ‘substantiarum alia animata, alia inanimata’ tunc non est recta divisio, quia animatum et inanimatum non sunt differentiae proximae substantiae sed ipsius corporis.

Hoc dicto sequitur pars altera in qua determinat aliam condicionem, sc. quod debent esse convertibiles, dicens <30.22> quod oportet divisionem esse convertibilem cum divisio sicut definitionem cum definito, ut cum dico ‘virtus est optimus habitus mentis’ ista [[.]] definitio convertitur cum suo/ definito, quoniam quicquid est virtus est optimus habitus mentis¹ et econverso; similiter oportet esse in divisione, ut cum dico ‘animalium aliud rationale, aliud irrationale’, ista enim divisio convertitur cum divisio quia quicquid est rationale vel irrationale est animal et quicquid est animal est rationale vel irrationale.

Hoc dicto terminata est pars illa in qua determinavit de condicionibus et sequitur pars altera in qua determinat de pluribus divisionibus generis, dicens <30.29> quod divisio generis [in]] est multipliciter sicut divisio corporum quae sunt alicuius magnitudinis. Et ostendit qualiter sit multiplex divisio totius habentis quantitatem sive magnitudinem dicens quod tetragonum, i.e. quadratum /147rB/ aliquando dividimus in triangulos, ut ducto diametro, i.e. directa linea ab uno angulo ad alterum sicut hic:



aliquando in parallelogrammata, i.e. gnomonem vel quadrangulum sicut hic:



aliquando in tetragona,² i.e. in figuras quadratas sicut hic:

¹ mentis] scientiae **M**.

² tetragona] *variam lectionem* tetragonos *per litteras os supra a positas indicatam* habet **M**.



Similiter genus potest dividi in multas divisiones, ut ‘numerorum alii pares, alii impares; alii primi alii non primi’. Et dicuntur primi qui non perficiuntur per numeros, sicut ternarius; non primi qui perficiuntur per numeros, sicut quinarius ex binario et ternario. Vel aliter: [non/] primus dicitur qui non fit ex ducto numero, sicut duo, quinque, septem: ibi enim non est ductus numerus, quoniam non est triplicatus; <non> primus autem dicitur qui est ductus ex ternario in ternarium ut novem, vel ex ternario in quaternarium ut sedecim.

Hoc dicto sequitur pars altera in qua determinat de definitione prout est terminus divisionis, vel de divisione prout est via in definitionem, et primo dat modum definiendi, secundo exemplificat de modo.

Circa partem primam sic procedit dicens <32.23> quod rerum aliae sunt superiores, aliae sunt mediae, aliae inferiores. Et dicit quod superiores non possunt definiri, quoniam non habent genus supra se, et omnis definitio est ex genere et differentiis; similiter neque inferiores possunt definiri, quoniam non habent differentias; sed res mediae definiuntur sic, quoniam primo debemus sumere genus, postea ei addere differentiam et videre si illa differentia sit convertibilis cum definito, et si non videmus adhuc esse differentiam convertibilem debemus dividere in alias et addere illam quae illi convenit, et hoc quousque sit convertibilis cum definito. Et hoc exemplificat in definitione nominis.

Hoc dicto sequitur pars tertia huius capituli, in qua comparat ea quae ponuntur in divisione, dicens <38.1> quod genus positum in divisione est totum divisi, sicut ‘animal rationale et irrationale’ est totum. Illa vero quae ponuntur in definitione non sunt totum sed pars definiti, non enim rationale est totum hominis sed pars ipsius.

Ordo

Ordo istarum partium patet, quoniam cum genus dividitur per differentias primo oportet quod illae differentiae sint specificae et per se quam sint oppositae, et propter hoc prima condicio ante secundam. Postea

primo oportet videre quod sint oppositae quam <quod> sint proximae, et quod sint proximae antequam notae, quia una addit super aliam, et propter hoc prima condicio ante secundam et secunda ante tertiam et tertia ante quartam. Sed de ordine quartae condicionis ad quintam erit dubitatio, propter hoc non dicitur esse evidens.

Item, partium aliarum patet ordo, quoniam prius est determinare de una divisione generis quam de pluribus, et sicut unum ante multa, sic prima pars ante secundam.

Item, prius est determinare de divisione quam de termino ipsius, qui est definitio; et prius est determinare de definitione quam comparare ea quae ponuntur in definitione; propter hoc prima pars ante secundam et secunda ante tertiam.

Haec est sententia lectionis et ordo partium.

Dubia

Sed ad maiorem evidentiam possunt quaedam dubitari.

1a Et primo de ordine quartae condicionis ad quintam. Videtur enim quod quinta debeat praecedere quartam, quoniam convertibilitas dicit comparisonem ad genus, differentiae enim debent esse convertibiles cum genere quod dividunt; notio vero dicit comparisonem ad nos, quoniam notio est per comparisonem ad nos; sed prius est comparare differentiam ad genus quam ad nos, et sic convertibilitas ante notionem, et sic videtur quod quinta condicio debeat praecedere quartam. Ipse autem ordinat e converso, quare videtur ordinem permutare.

Ad 1a Ad hoc dicendum quod prius debet determinare illas quattuor condiciones quam quintam propter hanc rationem: quoniam illae quattuor sunt differentiae <rei> secundum se et non in comparatione ad aliam. Sicut enim contingit rei secundum se quod sit substantialis et quod sit opposita, ita quod sit proxima et nota; sed rei non contingit quod sit convertibilis secundum se sed in comparatione ad aliam, quia ista differentia 'rationale' non est convertibilis cum animali, sed ambae, sc. rationale et irrationale, et ita ista differentia debetur potius ambobus quam uni, aliae vero unicuique secundum se; et prius est illud quod debetur uni quam ambobus, et propter hoc illae quattuor condiciones ordinantur ante quintam sicut unum ante multa.

Ib Item /147vA/ circa hoc quaeritur quare ante istam condicionem quae est proximitas et non ante aliam ponat huiusmodi dubitationem sive quaestionem, quae est utrum genus in differentias debeat dividi aut in species.

Ad Ib Ad hoc dicendum quod ibi fuit necessaria illa quaestio et non alia, sc. quoniam divisio in species repugnabat huic differentiae quae est proximitas et non alii. Et propter hoc debuit hic inquirere utrum fieret in species aut in differentias, ut †determinato† quando nomina sunt posita speciebus, tunc fit in species, quando vero nomina non sunt posita, fit in differentias, et non in quascumque sed in proximas. Ideo ponit istam quaestionem ante istam condicionem quae est proximitas.

Ic Item, circa hoc quaeritur quare non probat per notionem quod divisio erit per differentias sicut probat quod sit in species.

Ad Ic Ad hoc dicendum quod non oportuit, quoniam manifestatis condicionibus, sc. quod debent esse substantiales, oppositae, proximae, notae et convertibiles, satis erat manifestum quod fiebat per differentias divisio generis, quoniam ipsae condiciones sunt differentiarum et non specierum, et propter hoc magis debuit probare quod fiebat in species quam quod fieret in differentias.

Id Item, circa hoc quaeritur utrum divisio generis fiat in species an in differentias.

Id.1.1 Et videtur quod semper in differentias, quia dicit Porphyrius¹ quod differentia apta nata est dividere ea quae sunt sub eodem genere; ergo semper fit per differentias.

Id.1.2 Item, ad hoc quod fiat divisio generis oportet genus esse informatum specificis differentiis; ergo divisio generis non potest fieri quin fiat per differentias, quoniam ipsum genus semper informatum debet esse [[specificis]] differentiis.

Id.2.1 Postea videtur quod debeat fieri in species et non per differentias, quoniam in divisione generis divisum debet semper praedicari de dividendis; sed genus, sicut vult Aristoteles in sexto Topicorum,² non

¹ Porphyrius, *Intr.* 11.18-19 (*AL* I.6: 18.16-18).

² Cf. Arist., *Top.* VI.6.144a28-33. *Aristoteles vero differentiam de genere praedicari posse negat.*

potest praedicari de differentia, sed econverso; ergo manifestum est quod genus non potest dividi per differentias.

Id.2.2 Item, dist(incti)o divisionis generis est dist(incti)o in proprias species; ergo divisio generis debet semper esse in species et non in differentias.

Ad Id Ad hoc dicendum quod effectus differentiae habet dividi in hoc, quoniam ‘in hoc’ dicit terminum divisionis, ‘per hoc’ vero dicit medium per quod fit divisio. Et dico quod divisio generis fit per differentias in species, unde differentiae sunt medium divisionis generis, species vero terminus divisionis, et differt una divisio ab altera, quoniam in species fit quando nomina sunt posita, per differentias vero fit propter penuriam vocabulorum.

Ad Id.1.1 Ad hoc quod obicitur quod debet fieri in differentias, quoniam differentia apta est nata etc., dicimus quod differentia apta nata est dividere <non> genus, sed ea quae sunt sub genere, sc. species.¹ Unde per illam propositionem magis habemus quod sit in species per differentias quam quod fiat in differentias.

Ad Id.2.1 Et per hoc patet solutio ad illud quod obicitur in contrarium quod genus debet praedicari de dividendis et non praedicatur de differentiis, quoniam genus debet praedicari de dividendis in quae habet dividi, et non de illis per quae. Et propter hoc non debet praedicari de differentia, quoniam non est status in illis per quae habet dividi.

2. Secundo quaeritur quare genus non praedicatur de differentia.

2.1 Si dicatur quod propter hoc quia genus se habet per modum materiae et differentia per modum formae, et materia non praedicatur de forma nec econverso, quia non potest dici ‘corpus² est anima’ nec ‘anima est corpus’, ideo genus non praedicatur de differentia nec econverso —

2.2 Contra: similiter neque materia neque forma praedicatur de composito, non enim potest dici ‘homo est anima’ nec ‘homo est corpus’, sc. quod corpus dicat solam materiam. Quare, cum neque materia neque forma praedicetur de composito, manifestum est quod genus, cum se habeat per modum materiae, neque differentia, cum se habeat per modum

¹ species] speciem **M**.

² corpus – corpus] anima est corpus nec corpus est anima **M a.c.**

formae, non praedicatur de specie, quae se habet per modum compositi. Quod est inconueniens, et sic illa solutio nulla.

Ad 2 Unde adhuc possumus dicere quod genus non praedicatur de differentia, quoniam sic sequeretur quod qua ratione praedicatur de una similiter et de alia, et sic si rationale esset animal quod mortale similiter esset animal, et sic homo esset multa animalia; quod est inconueniens. Vel possumus dicere, sicut dictum est, quod materia non praedicatur de forma nec econverso.

Ad 2.2 Ad illud quod obicis in contrarium dicendum est: sicut vult Aristoteles in libro *Physicorum*¹ quod partes definitionis omnes sunt formales, unde genus et differentia sunt formales respectu speciei et genus fit materia respectu differentiae. Dico ergo quod forma est duplex: sc. partis compositi sicut anima, et talis non potest praedicari de ipso composito /147vB/ sicut obiebat, et est forma quae est consequens compositum, sicut ista forma HOMO, et ista potest praedicari; similiter et animal.

3. Tertio quaeritur quare species sint innominatae.

Ad 3 Ad illud dicendum quia non imponimus nomina nisi rebus notis; sed illae species quae sunt proximae generi sunt ignotae nobis, quoniam individua illarum specierum non <c>adunt sub sensu nostro; animal enim rationale genus est ad hominem et ad deum secundum Porphyrium,² et est species animalis, et ista species non cadit sub sensu nostro, et propter hoc non est ei nomen impositum, et sic remanent huiusmodi species innominatae.

4. Quarto quaeritur de hoc quod ipse dicit <28.32> quod animal est ultimum genus. Videtur enim esse falsum, quia sub ipso est aliud genus, sc. animal rationale; ergo non est ultimum genus. Ipse autem dicit quod est; quare videtur mentiri.

Ad 4 Ad hoc dicendum quod ultimum genus est nobis notum, quoniam, quamvis animal rationale sit sub ipso, non est notum sed ignotum; et propter hoc dixit quod erat ultimum –nomen, intellige–, ut animal, sc. quod

¹ Cf. Arist., *Ph.* II.3.194b26-29.

² Porphyrius, *Intr.* 11.23-24, 14.1-2.

est ultimum cui unum nomen est positum, et animali rationali non est unum nomen positum, et propter hoc tua obiectio nulla est.

5. Quinto quaeritur de hoc quod ipse dicit <30.17-18> quod statim post divisionem sunt ponendae definitiones ipsorum dividendum vel exempla, quoniam sic videtur innuere quod divisio fit per differentias et quod differentia habeat definitionem.

5.1 Sed videtur quod differentia non habeat definitionem:

5.1.1 Dicit enim Boethius in *Topicis*¹ “sola species definitur”; sed differentia non est species, ergo differentia non definitur.

5.1.2 Item, omnis definitio est ex genere et differentiis; sed differentia non habet genus quod de ipso praedicetur; ergo non habebit definitionem. Ipse autem implicat in *Littera*; quare videtur falsum implicare.

Ad 5 Ad hoc dicendum quod verum est quod implicat quod differentia habeat definitionem. Sed definitio est multiplex, quoniam quaedam est logica, sicut illa quae est ex genere et differentiis, quaedam mathematica, sicut quando linea definitur per punctos, quaedam vero naturalis, sicut quando actus definitur per obiecta et obiecta per actus. Et quando Auctor implicat quod differentia habeat definitionem intendit de naturali definitione, quoniam ipsa differentia definitur per suos actus sive operationes.

Ad 5.1.1 Quando autem tu obicis quod sola species definitur, verum est – per definitionem logicam.

Ad 5.1.2 Item, cum dicis quod omnis definitio est ex genere et differentiis, verum est – de definitione logica. Et sic cessant tuae obiectiones.

6a Sexto quaeritur de hoc quod ipse dicit <30.29> quod unum genus potest dividi multis divisionibus. Videtur enim falsum, quoniam² sic divideretur multis differentiis; sed non potest dividi multis differentiis, quoniam genus se habet per modum materiae, sed eadem materia non est disposita ad recipiendum diversas formas; ergo genus non poterit recipere

¹ *Locum non inveni.*

² quoniam] quando **M**.

<diversas> differentias; ergo non poterit dividi per multas differentias neque divisiones.

Ad 6a Ad hoc dicendum quod unum genus potest dividi multis divisionibus. Et concedo quod eadem materia corruptibilis non est disposita ad recipiendum diversas formas, sed incorruptibilis bene potest, et quia genus est ad modum materiae incorruptibilis potest diversas formas accipere. Et dico quod non est materia disposita genus, quoniam statim recipit diversas species sine aliqua¹ dispositione; et tua obiectio procedebat de materia corruptibilium, quae quidem non potest recipere diversas formas simul et semel, et genus assimilatur materiae incorruptibilium, et propter hoc tua obiectio nulla est.

Obiectio Sed contra: materia lunae est incorruptibilis.

Ad obiectionem Ad hoc dicendum quod non est simile de materia lunae, quoniam materia lunae recipit totum ambitum formae, et propter hoc non potest recipere diversas formas; sed materia generis non recipit totum ambitum suarum formarum, quoniam sic converteretur cum ipsis speciebus, et propter hoc bene potest recipere diversas formas.

6b Item, circa hoc quaeritur utrum genus possit salvari in unica specie, sicut species in unico individuo. Et videtur quod sic, quoniam de quocumque praedicatur species et genus; ergo si species salvatur in uno individuo, et genus similiter.

Ad 6b Ad hoc dicendum quod genus impossibile est salvari in uno individuo, neque in unica specie. Et causa huius est quoniam oportet quod genus descendat ad illud de quo dicitur; sed oportet ipsum descendere ad individua, et hoc per duas differentias oppositas; et qua ratione /148rA/ una illarum differentiarum facit speciem et reliqua. Et propter hoc oportet ad minus ut habeat duas species oppositas. Sed in specie non est sic, quoniam non est descendere a specie ad individua per divisionem, quia ipsa sunt infinita, sed per appositionem proprietatum, sicut dicit Porphyrius;² et illae proprietates possunt in unico individuo salvari, et propter hoc species potest salvari in unico individuo.

¹ aliqua] a³ M.

² Cf. Porph., *Intr.* 7.21-22; *trl. Boethii*, AL I.6: 13.24-14.1: "Individua ergo dicuntur huiusmodi quoniam ex proprietatibus consistit unumquodque eorum".

6c Item, adhuc videtur quod possit salvari in uno individuo genus sicut species, quoniam si species est, genus est; sed species est in uno individuo; ergo et genus.

Ad 6c Ad hoc dicendum quod species habet duplicem comparisonem, sc. ad genus, et sic sequitur ‘si species est, genus est’; vel ad individua, et sic non sequitur. Et propter hoc, quamvis species sit in uno individuo, non sequitur quod genus sit similiter.

7. Septimo quaeritur utrum definitio possit demonstrari.

7.1 Et videtur quod non, quoniam est immediata respectu sui definiti; sed nullum tale potest demonstrari; ergo definitio non potest demonstrari.

7.2 Contrarium dicit Aristoteles in secundo Posteriorum.¹

Ad 7 Ad hoc dicendum quod duplex est definitio, sc. quid et propter quid; et illa quae est quid potest demonstrari, sed non de suo definito sed de eo de quo suum definitum potest demonstrari, ut si eclipsis demonstratur de luna et definitio eclipsis similiter; sed illa quae est propter quid non potest demonstrari. Vel possumus dicere quod in ratione definitionis non potest demonstrari, quoniam sic est immediata respectu definiti; sed in ratione passionis bene potest.

Obiectio Sed videtur adhuc quod immediata possit demonstrari de definito, quoniam dicit Aristoteles² quod naturalis potest demonstrari, et naturalis est immediata; ergo immediata potest demonstrari.

Ad obiectionem Ad hoc dicendum quod naturalis immediata non potest demonstrari in suo genere sed in alio; et sic intellexit Aristoteles quando dixit quod poterit demonstrari.

8a. Octavo quaeritur de hoc quod ipse dicit in Littera³ quod oportet ad definitionem plures divisiones esse.

8.1 Videtur esse falsum:

¹ Cf. Arist., *APo.* II.10.

² *Ubinam?*

³ *Ad 32.23sqq. referri videtur, sed confuso modo.*

8a.1.1 Quoniam omnis definitio habet fieri per genus proximum; tunc ad definitionem non praecedunt plures divisiones. Quare videtur Auctor mentiri.

8a.1.2 Item, definitio corporis potest haberi addendo unam differentiam ipsi generi generalissimo quod est substantia, <sc.> ‘corporea’; quare manifestum est quod non oportet plures divisiones esse ad hoc quod fiat definitio.

Ad 8a.1.1 Ad horum primum dicendum est quod non oportet quod semper fiat definitio per genus proximum, nec hoc dicit Aristoteles, immo dicit¹ quod omnis definitio fit vel per genus proximum vel per remotum cum aggregatione differentiarum sine saltu; et tunc etiam melior est definitio quam si fieret per genus proximum. Quod patet: definitur enim sic homo ‘homo est substantia \corporea/ animata sensibilis rationalis mortalis’; melior est ista definitio quam si daretur per genus proximum tantum, quod patet: si enim dicatur ‘homo est animal rationale mortale’ contingit adhuc quaerere quid est animal rationale mortale, et dicatur ‘animal utens ratione’. Si vero quaeratur quid est animal utens ratione, dicitur ‘substantia corporea animata etc.’. Sed si quaeratur quid est homo et dicatur ‘substantia corporea animata sensibilis rationalis mortalis’ non contingit amplius quaerere, quare melior est definitio per genus remotum quam per proximum, dummodo fit cum aggregatione differentiarum et sine saltu. Quare respondendum est ad illud argumentum “Omnis definitio debet fieri per genus proximum” dicendo² quod hoc est falsum, immo potest fieri per genus remotum, et etiam tunc melior est quam si fieret per proximum, dummodo fit per genus remotum cum aggregatione differentiarum sine saltu.

Ad 8a.1.2 Ad hoc vero quod obicitur quod definitio corporis fit addendo unam differentiam dicendum quod differt dicere ‘sumere definitionem’ et ‘venari’. Sumere enim definitionem est per certum modum, unde sumere definitionem hoc est certo modo. Venari vero definitionem, hoc est incerto modo sive incerta via. Dico ergo quod venari definitionem non possumus nisi per plures divisiones, cum venari sit incerto modo sive incerta via; illud enim quod venatur est incertum. Et sic intellexit quod ad unam

¹ Arist., *Top.* VI.5.143a22-24.

² dicendo] dicendum M.

definitionem plures exiguntur divisiones, sc.¹ via venandi. Tamen sumi [[h]] non licet nec potest² <per> plures divisiones, quia sumere definitionem est illam prompte sumere, unde hic ‘corpus est substantia corporea’ non venatur, immo /148rB/ statim sumitur, et propter hoc non exiguntur plures divisiones ad illam definitionem.

8b Item, dicit Aristoteles in secundo Posteriorum³ “At vero neque per divisiones via est syllogizare definitionem”; ergo per hoc videtur quod divisio non sit via in definitionem. Sed ipse dicit <32.16> quod est. Quare videtur mentiri.

Ad 8b Ad hoc patet solutio per praedicta, quoniam Aristoteles non negat sc. quod divisio non possit esse via in definitionem, sed dicit quod non est via in ipsam syllogizando, quoniam definitio non potest syllogizari per divisionem. Et causa huius est quoniam syllogismus via certa est et firma, divisio vero incerta. Unde dicit quod syllogismus divisivus infirmus est et incertus, sicut si dicam ‘omne animal est rationale vel irrationale, sed omnis homo est animal, ergo est rationalis vel irrationalis’ quantum ad istum processum syllogismus bonus est, sed quantum ad istum ‘omnis homo rationalis vel irrationalis, sed omnis homo non est irrationalis, ergo est rationalis’ infirmus est et incertus, cum petat illud idem quod supponit. Et sic patet solutio ad illud: non enim dixit quod divisio non sit via in definitionem, sed dixit quod per eam non est syllogizare definitionem, cum syllogismus sit via certa et firma, divisio vero incerta.

9. Nono quaeritur si generalissimum et individuum possint habere definitionem.

9.1 Et videtur quod sic, quoniam incomplexum contingit verissime cognoscere; sed verissima cognitio est definitio; ergo, cum generalissimum sit incomplexum et individuum similiter, manifestum est quod poterunt habere definitionem.

¹ sc.] sed M.

² potest] possunt M.

³ Arist., *APo.* II.5.91b12-13. *Verbatim laudat noster, hoc excepto quod definitionem suo Marte addidit.*

9.2 Sed contra. Definitio est ex genere et differentiis; sed generalissimum non habet genus neque individuum differentias; ergo non poterunt habere definitionem.

Ad 9 Ad hoc dicendum quod non possunt definiri proprie propter supradictam causam, quia non habent genus neque differentias.

Ad 9.1 Ad istud quod obicis in contrarium, quod contingit ipsa verissime cognoscere, sed verissima cognitio est definitio, dicendum quod verum est – tamen quaedam habent definitionem intra se, sicut generalissima, quaedam extra se, sicut species et individua similiter; unde individua definiuntur, tamen non proprie per genus et differentias, sed per proprietates suas.

10. Decimo quaeritur de hoc quod ipse dicit <38.4-6> quod animal est totum in divisione et pars in definitione hominis.

10.1 Sed contra. Nulla pars praedicatur de toto; sed animal praedicatur de homine; ergo non est pars ipsius in definitione.

10.2 Item, dicit Tullius¹ quod idem non est totum et pars respectu eiusdem; ergo animal non erit totum hominis in divisione et pars in definitione.

Ad 10.2 Ad hoc ultimum dicendum quod nihil impedit unum et idem esse partem et totum respectu eiusdem in diverso genere partis et totius, sed in eodem genere inconueniens est, sicut dicit Tullius; sed in diversis generibus est hoc quod est animal pars integralis sive essentialis ipsius hominis, totum vero universale respectu eiusdem; et hoc bene potest esse.

Ad 10.1 Ad aliud dicendum quod differt dicere ‘totum hoc’ et ‘totum ad hoc’. Unde animal non est totum hoc, quoniam non est totus homo; sed est totum ad ipsum secundum ambitum et continentiam. Et totum ad hoc bene potest praedicari de partibus suis, ut animal de homine; sed totum hoc non, sicut domus non potest praedicari de pariete.

11. Item, videtur adhuc quod divisio non sit via in definitionem, quoniam ipse determinat de divisione generis in species, et illa non est via in definitionem sive per illam non venatur definitio.

¹ *Locum non inveni.*

Ad II Ad hoc dicendum quod non est via ad quamcumque definitionem, sed ad illam quae est per genus remotum, et sic non est via ad quamlibet. Neque quamlibet divisionem oportet esse viam in definitionem.

Et sic patet solutio ad omnia quaesita.

LECTIO 5^a

<38.17> **NUNC DE EA DIVISIONE DICEMUS QUAE EST TOTIUS IN PARTES etc.**

Divisio

Determinato de divisione generis in species consequenter determinandum est de divisione totius in partes. Haec autem pars dividitur in duas partes: in prooemium sc. et tractatum. Prima pars incipit hic Nunc de ea etc., secunda ibi <38.18> Quod enim dicimus totum.

Et secunda dividitur in duas partes, in quarum prima dicit quod multipliciter dicitur et exemplificat, et in secunda exequitur de divisione illorum totorum; prima pars incipit hic Quod enim dicimus, secunda ibi <38.28> facienda est totius divisio.

Sententia

Circa primam partem sic procedit dicens quod dicendum est de divisione totius, quoniam erat secunda post divisionem generis.

Hoc dicto sequitur pars altera, in qua dicit <38.18> quod totum multipliciter dicitur, sc. continuum (ut corpus, linea et huiusmodi) et totum non continuum, i.e. discretum /148vA/ (ut totum gregem vel totum populum), et totum universale (ut hominem et equum). Et hoc probat, quoniam sunt totum suorum particularium vel suarum partium. Et est totum aliud quod constituitur ex virtutibus et potentiis, ut anima; alia est enim potentia eius intelligendi, alia sentiendi, alia vegetandi.

Hoc dicto sequitur pars altera in qua determinat de divisione istorum totorum dicens <38.28> quod totum continuum dividitur in eas partes ex quibus est compositum, quoniam aliter non fit divisio; sic enim corpus hominis dividitur in partes suas, sc. in caput, manus et pedes, et si aliquo alio modo, hoc est si etiam dividatur in partes heterogeneas, i.e. dissimiles, sicut dictum est, vel homogeneas, i.e. in partes similes, sicut caro in partes quae sunt carnes et ossa in partes quae sunt ossa. Et quorumcumque multiplex est compositio, ipsorum multiplex est divisio, ut animal separatur in suas partes in carnem in ossa, quae partes sunt sibi similes, i.e. partes carni et ossium sunt sibi similes, i.e. partes ossium ad se invicem

et carnis ad se invicem, et non partes carnis ad partes ossium. Similiter separatur in eas quae non sunt similes, sicut manus et pedes, partes enim manus non sunt similes, quoniam quaelibet pars manus non est manus; similiter dicit quod dividitur navis et domus sicut totum continuum. Similiter liber dividitur in versus et versus in sermones et sermones in syllabas et syllabas in litteras, et dicit quod syllabae et litterae sunt partes totius et partes partis, sc. versus et sermonis. Et dicit quod \quando/ fit divisio non oportet partes separare actu sed cum cogitatione, sicut si dividatur vinum aqua mixtum in vina aqua mixta, tunc actu separantur partes ita quod pars una in vase uno et alia in alio. Si vero velimus ipsum dividere in vinum purum et aquam, hoc non potest fieri actu, sed cum cogitatione. Similiter dividitur in materiam et formam. Eodem modo dividitur totum universale ut ‘hominum alii sunt in Europa, alii in Asia, alii in Africa’. Et eius totius quod est ex virtutibus sic fit divisio: ‘animae alia pars est in virgultis, i.e. in vegetabilibus, alia in animalibus, et illius quae est in animalibus alia rationalis, alia sensibilis’. Sed anima non est genus harum partium, sed totum, quoniam istae sunt partes animae, sed non est totum in quantitate, licet potestate atque virtute, et substantia animae iungitur ex hiis potentiis –substantia i.e. definitio vel substantia i.e. forma. Unde huiusmodi divisio est similis divisioni generis et totius: divisioni generis, quoniam sicut genus praedicatur de qualibet sui parte, similiter anima; divisioni totius sic, quia sicut totum perficitur ex suis partibus, similiter anima.

Ordo

Ordo autem huius partis ad praecedentem patet, quoniam genus est universale et totum particulare, et sicut universale ante particulare, sic divisio generis ante divisionem totius.

Item, partium huius lectionis patet ordo, quoniam sicut prooemium ante executionem, sic prima pars ante secundam.

Item, sicut prius est dividere aliquid multipliciter dictum quam de divisione ipsius determinare, sic prima pars secundae partis ante secundam.

Haec est sententia lectionis et ordo partium.

Dubia

Sed ad maiorem evidentiam possunt quaedam dubitari.

1. Et primo de numero et sufficientia istorum totorum, quare sint tot et non plura.

Ad 1 Ad hoc dicendum quod omnia tota aut habent partes priores ipsis totis aut posteriores; si priores, aut sunt distinctae et divisae in actu aut potentia; si actu, sic est totum discretum, si potentia, sic est totum continuum. Si posteriores, aut actu, similiter, aut potentia; si potentia et non actu, sic est totum universale; si actu, sic est totum virtuale.

1.1 Item, videtur quod insufficienter determinet de totis quia est quoddam totum logicum sicut ex genere et differentiis, et quoddam mathematicum sicut ex quantitibus, et quoddam naturale sicut ex elementis; et nullum istorum determinat; quare videtur esse insufficientis.

Ad 1.1 Ad hoc dicendum quod non est insufficientis, quoniam omnes illi modi totorum de quibus tu obicis continentur sub toto continuo, quoniam sicut est in Littera¹ totum continuum est caro et caro composita est ex elementis, et sic totum naturale continetur sub continuo. Similiter totum logicum quod est ex genere et differentiis assimilatur illi toti quod est ex materia et forma, et sic adhuc sub continuo. Similiter totum quod est ex quantitibus continetur /148vB/ sub illo, quoniam quantitas veriori modo dicitur de continuo.

2a Secundo quaeritur de ordine. Videtur enim male ordinare illa tota, quoniam ipse ordinat totum continuum ante discretum, sed quantitas discreta prior est quam continua, cum sit universalior, quia reperitur tam in generabilibus et corruptibilibus quam in ingenerabilibus et incorruptibilibus; continua vero solum in inferioribus; ergo manifestum est quod discreta est universalior quam continua, et sic totum discretum debet ordinari ante continuum. Ipse autem ordinat econverso, quare videtur ordinem permutare.

Ad 2a Ad hoc dicendum quod non ordinantur hic secundum universalitatem sed secundum quod in ipsis magis salvatur natura

¹ Boethius, *Divis.* 40.4-6.

quantitatis, et propter hoc, quia magis salvatur in continuo quam in discreto, sic totum continuum hic ordinatur ante discretum.

2b Item, videtur adhuc quod sit insufficiens determinando de totis, quoniam est totum in tempore et in modo et in loco, et non determinat de istis; quare videtur insufficiens esse.

Ad 2b Ad hoc dicendum quod non est insufficiens, quoniam ista tota de quibus tu obicis continentur sub istis, quoniam totum in loco continetur sub toto numerali, et temporale similiter, et totum in modo sub toto universali.

2c Item, Boethius determinat hic de toto virtuali, et non in Topicis. Quare videtur hic esse superfluum vel ibi deminutus.

Ad 2c Ad hoc dicendum quod non est, quoniam in Topicis intendebat de totis secundum modum inferendi, et idem modus inferendi erat in toto virtuali et universali, et propter hoc non determinavit ibi de virtuali postquam determinatum erat de universali; sed quia non erat idem modus dividendi qui in aliis, ideo oportuit quod hic determinaret.

3. Tertio quaeritur quare non dicit quod totum discretum potest dividi in partibus homogeneis et heterogeneis, sicut dicit de continuo.

Ad 3 Ad hoc dicendum quod totum discretum, sicut numerus, semper poterit dividi in partibus heterogeneis, i.e. in unitatibus, continuum vero aliquando in heterogeneis, aliquando in homogeneis; et propter hoc magis debuit de ipso dicere quam de alio.

4. Quarto [[quaeritur]] videtur quod totum continuum non possit sufficienter dividi, quoniam continuum est divisibile in infinitum; ergo habet dividi in partes infinitas, et sic non poterit esse aliqua sufficiens divisio per quam possit dividi.

Ad 4 Ad hoc dicendum quod potest sufficienter dividi, quia partes eius possunt considerari ante divisionem, et sic potest dividi in partes infinitas; vel post divisionem, et sic finitae sunt partes in quibus dividitur.

Vel aliter: quoniam potest dividi in partes infinitas ratione materiae, in finitas vero ratione formae, quoniam in forma alicuius totius continui est terminus ultra quem non est transire, sicut potest videri in carne, quoniam est terminus ibi ultra quem si dividatur non erit caro.

5. Quinto quaeritur de exemplo quod ponit in toto continuo, de versu et libro. Videtur male facere, quoniam versus et oratio quantitas est discreta, sicut patet in Praedicamentis;¹ ergo male ponit illud exemplum in toto continuo.

Ad 5 Ad hoc dicendum quod versus et oratio possunt dupliciter considerari, sc. in scripto vel in pronuntiatione. Si² in scripto, hoc modo est quantitas discreta, et sic procedit tua obiectio; si in pronuntiatione, hoc modo est continua et sic ponitur hic pro exemplo.

6a Sexto quaeritur quare ponit plures divisiones totius continui quam discreti.

Ad 6a Ad hoc dicendum quod totum discretum non potest dividi nisi uno modo, non enim potest dividi nisi in partes similes, et propter hoc non ponit plures divisiones totius discreti, ponit autem continui, quia potest dividi in partes similes et dissimiles.

6b Item, dicit <40.15-16> quod est divisio in materiam et formam; sed ista divisio non continetur sub aliqua divisione quattuor totorum; quare videtur ponere quinque tota, et superius non enumerabat nisi quattuor in Littera.

Ad 6b Ad hoc dicendum quod divisio in materiam et formam habet reduci ad divisionem totius continui, quia forma est continens et continuans partes materiae. Dicit enim Aristoteles in libro De anima quod partes arboris³ evellerentur nisi esset anima continens et continuans partes ipsius. Cum ergo forma sit continens et continuans partes materiae, ut visum est, /149rA/ divisio in materiam et formam habebit reduci ad divisionem totius continui.

7. Septimo quaeritur de hoc quod dicit <40.19-20> ‘hominum alius in Europa, alius in Asia, alius in Africa’. Dicit enim quod est divisio totius universalis in partes, sed hoc videtur esse falsum, quoniam accidit homini ut sit in Europa et in Asia et in Africa; ergo erit divisio subiecti in accidentia et non alicuius totius.

¹ Arist., *Cat.* 6.4b22-23 & 32-25.

² *Quae sequuntur miro modo directe auctoritati Aristotelicae Cat. 6; ibi enim expressis verbis se de oratione pronuntiata loqui monet Aristoteles.*

³ arboris **M**^{corr} in mg.] actoris **M** (quod expunxit **M**^{corr}).

Ad 7 Ad hoc dicendum quod huiusmodi divisio potest esse subiecti in accidentia vel totius universalis, quoniam potest considerari huiusmodi divisio quantum ad qualitatem et quantum ad septem accidentia quae accidunt individuus supra speciem, et sic est illa divisio subiecti in accidentia. Vel potest considerari secundum quod praedicatio ipius hominis secundum quantitatem excedit praedicationem singularium, et sic illa divisio est totius, et bene dixit ‘hominum alius in Europa etc.’, quia cum partes totius in modo sint accidentales, ideo per istam divisionem totius quam ponit hic comprehendit totum in modo, quod habet reduci ad totum universale.

8. Octavo et ultimo quaeritur de hoc quod ipse dicit quod anima dividitur in potentiis sive virtutibus, sc. in vegetabilem, sensibilem et rationalem.

8a Unde quaeritur utrum istae tres virtutes insint eidem animae vel diversis.

8a.1 Et videtur quod diversis, quia dicit Aristoteles¹ quod homo prius est animal quam sit homo; ergo istae potentiae non insunt eidem sed diversis.

8a.2 Sed contra. Si insunt diversis, ergo homo habebit diversas animas, sc. vegetabilem, sensibilem et rationalem, et sic homo adminus erit duo animalia, cum anima sensibilis faciat animal et rationalis (vegetabilis non facit).

Ad 8a Ad hoc dicendum quod insunt diversis et non eidem.

Ad 8a.1 Et concedo primam rationem, quoniam alio modo impossibile esset solvere ad rationem Aristotelis.

Obiectio Et hoc est contra Boethium, quia sic non erit divisio totius, quia non est unum et idem totum.

Ad 8a.2 Et dico ad obiectionem quod propter hoc non sequitur quod homo sit duo animalia, quoniam prima anima est imperfecta respectu secundae et secunda respectu tertiae; unde ultima, sc. rationalis, est perfectio et completio hominis, et aliae sunt materiales respectu ipsius, et

¹ Arist., *GA* II.3.735b2-5.

sic, cum ab una perfectione dicatur unum perfectum, homo, cum non habeat nisi ultimam pro perfectione, non erit nisi unum perfectum.

Ad obiectionem Sed dicendum est sustinendo Auctorem quod est divisio totius, quoniam possunt considerari secundum essentias, et sic sunt diversa, vel in quantum animant et perficiunt, et hoc modo est unum totum, quoniam hoc modo eorum una est substantia, et sic est divisio unius totius.

8b Item, quaeritur de hoc quod ipse dicit <40.28> quod quaelibet pars animae est anima. Videtur esse falsum, quoniam quodlibet <membrum> habet virtutem sensibilem, ergo habet animam, et sic quodlibet membrum esset animal.

Ad 8b Ad hoc dicendum, sicut dicit Aristoteles¹ quando quaerit utrum pars anguillae sit animal cum sentiat, dicit enim ibi quod non est animal, quoniam virtus sensibilis non est in primo. Unde dico quod anima sensibilis potest esse in aliquo dupliciter, sc. tamquam in primo movente, et sic est in animali; vel sicut in membro, et sic est ibi quod non est animal, et sic est in membro.

8c Item, videtur quod anima non possit dividi, quoniam anima simplex est; sed nullum simplex est divisibile; ergo animal non poterit dividi.

Ad 8c Ad hoc dicendum quod anima potest sumi dupliciter, sc. prout est essentia separata, et sic est simplex et non potest dividi; vel prout est coniuncta ipsi materiae in qua est, et sic est composita ex suis potentiis et potest dividi, et non est composita secundum essentiam sed secundum quantitatem, quia praedicatio ipsius excedit praedicationem cuiuslibet partis sive potentiae, quia divisio totius quantitatis sic² perficitur.

8d Item, aut dividitur anima quae est universalis aut anima quae est in Socrate vel in aliquo singulari. Non universalis, quia sic esset divisio generis, quod est falsum; ergo haec anima singularis; ergo animal Socratis dividitur, et sic, cum debeat praedicari, de qualibet sui virtute praedicatur, et sic istae tres virtutes erunt animae, et sic erunt tres animae in Socrate, quod est falsum.

Ad 8d Ad hoc dicendum quod anima singularis dividitur in tres potentias. Non sequitur ‘ergo habet tres animas’, immo est fallacia accidentis:

¹ Cf. Arist., *de An.* I.5.411b19-22 & II.2.413b17-24.

² sic] *lectio incerta.*

58

non enim sequitur si iste habeat plures partes panis quod habeat plures panes; similiter in hac parte.

Et sic patet solutio ad omnia quae circa haec quaerebantur. /149rB/

LECTIO 6^a

<42.1> **RESTAT IGITUR UT DE DIVISIONE VOCIS IN SIGNIFICATIONES etc.**

Divisio

In superiore parte determinavit Auctor de divisione totius in partes. In hac vero parte determinat de divisione vocis in significationes. Haec autem pars dividitur in duas partes, sc. in prooemium et executionem. Prima pars incipit hic Restat igitur, secunda ibi <42.1> Fit autem vocis divisio.

Item, executio dividitur in duas partes, in quarum prima dicit quae sunt illae voces quae possunt dividi, et in secunda dat artem dividendi. Prima pars incipit hic Fit autem vocis divisio, secunda ibi <44.13> Tot igitur modis.

Item, prima pars dividitur in duas partes, in quarum prima dicit quot sunt voces quae possunt dividi, et in secunda comparat unam ad alteram. Prima pars incipit hic Fit autem vocis divisio, secunda ibi <44.2> Est autem omne quidem ambiguum dubitabile etc.

Sententia

Circa primam partem sic procedit, dicens quod cum determinatum sit de divisione generis et totius, restat de ea quae est vocis in significationes.

Hoc dicto sequitur executio, dicens quod divisio vocis in significationes fit tribus modis, quoniam illa vox potest dividi in plures significationes quas significat, et hoc vel aequivoca, i.e. uno nomine, vel ambigua, i.e. oratione. Uno nomine ut ‘canis’, oratione ambigua ut cum dico Graecos vicisse Troianos, quia potest esse sensus quod Troiani sunt victi vel Graeci.¹ Alio autem modo non secundum quod plura significat sed secundum quod unum, tamen diversimode, sicut ‘infinite’: potest enim dicere infinite secundum magnitudinem, cuius terminus non possit inveniri sicut caelum, vel secundum mensuram et multitudinem sicut corpus, corpus enim potest dividi in infinitas partes; vel secundum mensuram temporis ut mundus dicitur infinite; vel secundum speciem, ut

¹ Graeci] romani **M.** *In sequentibus Romani pluries pro Graecis positi invenientur. Haesitans correxi, cum non omnino mihi constaret utrum Nicolaus an scriba negligens fuisset.*

species figurarum dicuntur infinitae. Tertius modus est non quod plura significet neque diversimode sed secundum determinationem, hoc est quando aliquid profertur sine determinatione cui plures determinationes possunt addi, sicut si aliquis dicat ‘homo’ nondum intellectum habet sine determinatione, quoniam potest ei addi ‘ambulat’ ‘currit’, et nescio tamen quod istorum debeat ei addi. Similiter sunt aliae determinationes, sicut ‘da mihi’ est dubium <utrum oportet> ibi ponere ‘vinum’ vel aliquid aliud; vel si quis dicat ‘veni ad me’ est similiter dubium in quo loco vel in quo tempore.

Hoc dicto sequitur pars altera in qua comparat istos modos aequivocationis ad se invicem, dicens <44.2> quod omne quod est ambiguum sicut in primis duobus est dubitabile, sed non omne quod est dubitabile est ambiguum, sicut est in tertio modo. Et hoc probat, quia haec quae dicta sunt ultimo, sc. ‘da mihi’ ‘veni ad me’, sunt dubitabilia, non tamen ambigua; tamen illa quae sunt ambigua sunt dubitabilia sicut est¹ ‘dico Graecos vicisse Troianos’ dubium est qui sint victi.

Hoc dicto sequitur pars ultima, in qua dat artem dividendi. Et primo dat quaedam generalia documenta, postea specialia; et quando dat generalia, primo in aequivoco, postea in amphibolo. Similiter quando dat specialia.

Circa partem primam sic procedit, dicens <44.13> cum divisio vocis fiat tot modis, sc. per plura significata et per diversos modos significandi et per determinationem, in illis quae sunt secundum plura significata non solum est dividere significationes sed etiam est monstrandum illas res esse diversas per definitionem, sicut dicit Aristoteles in primo Topicorum in illo capitulo Quotiens autem negotiandum etc.², sicut si bonum dicatur de iustitia et cibo monstrandum istas res esse diversas per definitionem hoc modo, quoniam prout dicitur de iustitia qualitas est ipsius, prout vero de cibo est effectivum qualitatis; unde haec sunt dividenda ne nos capiamur aliquo syllogismo, hoc est aliquo paralogismo.

Hoc dicto ponit generale documentum ipsius amphiboli, dicens <44.25> quod si sit amphibola oratio aliquando sunt possibilis utraque significata, ut ‘dico Graecos³ vicisse Troianos’, quoniam utrumque est

¹ est dico Graecos] est dico Romanos **M**; *fortasse* cum dico Graecos *scribendum*.

² Arist., *Top.* I.15.106a1sq.

³ Graecos – Graeci] Romanos – Romani **M**.

possibile, vel quod sint Troiani victi vel Graecos. Aliquando quaedam sunt possible, quaedam impossible, ut hominem comedere panem, quoniam possibile est quod homo comedat panem, impossibile vero quod comedatur a pane. Et est tale documentum, sc. quod quando /149vA/ quaedam illorum significatorum possible, quaedam impossible, si nos disputemus ad contentionem¹ utraque sunt dividenda, sc. possible et impossible; si ad veritatem, possible sunt dividenda et impossible relinquenda.

Hoc dicto docet specialia documenta, dicens <46.14> quod significationes dividuntur per definitionem, ut cum dico ‘homo vivit’ intelligitur homo verus et pictus, sed separatur per definitionem, hoc modo: quoniam homo verus est animal rationale mortale, pictus vero assimilatio animalis rationalis mortalis; et sic diversificantur sive dividuntur per definitionem. Similiter aliquando dividitur adiectione quae determinat vel genus vel casum, ut cum dico ‘canna Romanorum sanguine sorduit’ potest designare hoc quod dico ‘canna’ calamum vel fluvium; sed per adiectionem huius quod dico ‘hic’ vel ‘haec’ dividitur, quoniam si dicam ‘hic canna’ intelligitur de fluvio, si vero pluraliter ‘haec canna’ intelligitur de calamis. Similiter alia dividuntur penes accentum, ut pōne et poné, quoniam si ultimam corripimus, tunc est verbum et oportet primam circumflecti sicut in accentu disyllabarum, si vero producatum est praepositio et oportet primam acui. Similiter dividuntur per orthographiam, ut ‘queror’ quod est passivum de ‘quero, queris’ et ‘queror’ a querela: alio enim modo et alio scribuntur secundum orthographiam, quoniam prout est passivum de ‘quero’ prima debet produci et debet protrahi quaedam lineas supra primam ad hoc denotandum, hoc modo: “quēror”, prout vero a querela debet prima corripere et scribi sine signo.

Hoc dicto dicit <48.3> quod ambiguarum orationum divisio est facienda aut per adiectionem ut ‘audio Troianos² vinci, Graecos vicisse, aut per deminutionem, ut ‘audio Graecos vicisse’, aut per aliquam transmutationem ut ‘audio Troianos vicisse Graecos’ i.e. audio quod Graeci vicerunt Troianos.

¹ contentionem] conteptionem M.

² Troianos] romanos M.

Hoc dicto dicit <48.7> quod ambiguitas quolibet istorum modorum solvitur,¹ tamen omnis significatio vocis non est dividenda sicut generis, quoniam divisio generis debet fieri in omnibus speciebus suis, in ambiguitate vero sufficiunt tantae quantae possunt esse utiles ad ipsum sermonem.

Hoc dicto dicit <48.12> quod determinatum est sufficienter de divisione generis et totius et vocis in significationes, et sequitur pars altera in qua determinat de divisionibus per accidens. Et haec pars remanet indivisa. Et dat ibi duo documenta dicens quod primum praeceptum est quod huiusmodi divisio semper fiat per opposita, unde non esset divisio si diceremus ‘corporum alia sunt alba, alia sunt dulcia’, sed per opposita debet fieri sic: ‘corporum alia sunt alba, alia nigra’. Et ponit aliud documentum tale quod maxime perspiciendum est quod dividenda non contineant plus neque minus quam ipsum divisum neque econverso. Unde non esset divisio ‘corporum alia sunt alba, alia sunt nigra’, quoniam insufficientis est, quia plura continet ipsum divisum, sc. medio colore colorata; unde debet sic dicere: ‘corporum alia sunt alba, alia nigra, alia medio colore colorata’.

Hoc dicto <48.26> laudat suam scientiam dicens quod posterior secta Peripateticae prudentiae, i.e. moderni, bene sciunt differentias divisionum et sciunt separare divisionem per se a divisione per accidens et ipsas secundum se, sed antiqui ponebant indifferenter unam pro alia; unde, quia sic errabant, est visa optima utilitas dare [communicationes vel]² communionem et differentias harum.

Hoc dicto sequitur recapitulatio dicens <50.4> quod de omni divisione, quantum brevitatis introductionis patiebatur, diligenter expressimus.

Ordo

Ordo autem huius partis ad praecedentem patet, quoniam sicut prius est dividere rem in rem quam signum in rem, sic divisio generis in species et totius in partes ante divisionem vocis in significationes.

¹ solvitur] salvatur M.

² communicationes vel] *seclusit Hansen.*

Item, sicut prooemium ante executionem, sic prima pars huius lectionis est ante secundam.

Haec est sententia lectionis et ordo partium.

Dubia

Sed ad maiorem evidentiam possunt quaedam dubitari.

1. Et primo, cum dividere vocem pertineat ad primum Topicorum et ad secundum Elenchorum /149vB/ videtur quod ad istum non debeat pertinere, cum idem diversis artificibus non debeat pertinere; vel si pertineat, quaeritur qualiter differenter hic et¹ ibi.

Ad 1 Ad hoc dicendum quod idem diversis artificibus bene potest pertinere, tamen diversimode. Unde dico quod differenter dividit iste auctor vocem in significationes et Aristoteles in Topicis et Elenchis, quoniam iste² dividit ut cognoscatur divisio vocis in significationes secundum se, quoniam subiectum istius est divisio, in Topicis vero ut per ipsam possimus abundare syllogismis, in Elenchis vero ut sciamus solvere paralogismos secundum aequivocationem.

2. Secundo quaeritur quare ponat tres voces esse dividendas, sc. illam quae plures significationes habet et illam quae diversum modum significandi et illam quae per determinationem plura potest significare, et non ponat plures nec pauciores.

Ad 2 Ad hoc dicendum quod propter hoc quoniam omnis vox plura significans aut erit plura significans de se aut ab adiuncto. Si ab adiuncto, sic sumitur tertius modus. Si significat plura de se, aut aequivoce aut analogice. Si aequivoce, sic sumitur primus modus; si analogice, sic sumitur secundus. Et ordinantur secundum quod magis descendunt ad ordinationem vocis,³ et quia primus modus plus descendit quam secundus, et secundus magis quam tertius, sic primus modus ante secundum et secundus ante tertium.

¹ et] *supra* vel (*quod fortasse expunctum est*) *scriptum habet M.*

² iste] i(II)e **M.**

³ vocis] voces *cum* *ci superscripto M.*

3. Tertio quaeritur, postquam non exequitur de tertio modo, quare tangit ipsum. Non enim exequitur qualiter habet fieri divisio secundum determinationem.

Ad 3 Ad hoc dicendum quod exequitur de ipso per accidens sive ex consequenti, quoniam per illud documentum per quod habet vox dividi amphibola, sc. per adiectionem, similiter per illud idem habet dividi tertius modus.

4. Quarto quaeritur de hoc quod ipse dicit quod caelum est infinitum magnitudine.

4a.1 Videtur esse falsum:

4a.1.1 Quoniam dicit Aristoteles¹ quod omnium natura constantium certus est terminus magnitudinis et deminutionis; ² non ergo erit caelum infinitum.

4a.1.2 Item, dicit Aristoteles³ quod nihil est infinitum; ergo caelum non est infinitum.

Ad 4a.1 Ad hoc dicendum quod nihil est infinitum quoad naturam, et omnium natura constantium certus est terminus quoad naturam; tamen quoad nos bene potest esse infinitum, et auctor iste⁴ quando dixit quod caelum esset infinitum intellexit quoad nos et non quoad naturam.

4b Item, circa hoc quaeritur de hoc quod ipse dicit quod species figurarum sunt infinitae. Videtur esse falsum, quoniam dicit Porphyrius⁵ quod species sunt finitae et sub certo numero, individua vero [[sul]] infinita sunt; ergo species figurarum erunt finitae et non infinitae. Ipse autem dicit econverso, quare videtur mentiri.

Ad 4b Ad hoc dicendum quod species omnes finitae sunt actu, tamen species numerorum et figurarum possunt esse \in/finitae potentia per additionem. Si enim speciei numeri addatur unitas fiet alia species numeri, et sic in infinitum; similiter et figurarum. Et hoc dico de numero numerato,

¹ Cf. Arist., *Cael.* I.1.268a4-5.

² *Iuxta deminutionis incipit nota marginalis, quae in imagine photographica non integra videtur: proper hanc pas<<...> bebat ... <<...> iste per ... <<...> lem ...*

³ Cf. Arist., *Cael.* I.5-7 & *Ph.* III.5-8.

⁴ iste] i(l)le M.

⁵ Porph., *Intr.* 6.11-13.

quoniam ipse est finitus sicut res numeratae sunt finitae; sed de numero numerante dico quod potentia est infinitus per additionem a parte animae, quoniam si omnes res de toto mundo essent numeratae, adhuc anima posset intelligere in duplo plures.

4c Item, circa hoc quaeritur quare species numeri et figurarum sint potius infinitae quam aliae.

Ad 4c Ad hoc dicendum quod illa habent aliquid a parte animae, alia vero non.

5. Quinto quaeritur de hoc quod ipse dicit quod ‘homo’ plura significat. Videtur esse falsum circumscripta aequivocatione de picto et de vero, quoniam si significaret plura, aut plura complexa aut plura incomplexa; non plura incomplexa, quoniam non dat plura intelligere circumscripta illa aequivocatione quam praedixi; item nec plura incomplexa, cum ‘ipsum’ sit incomplextum, et sic manifestum est quod non significat plura incomplexa. Ipse autem dicit quod significat plura. Quare videtur mentiri, quoniam si significaret plura, aut significaret plura complexa aut plura incomplexa, quorum utrumque est falsum.

Ad 5 Ad hoc dicendum quod significat plura complexa, licet non sit complexum sed incomplextum, /150rA/ neque de se illa plura significet, tamen significat ipsa per additionem ‘sive per adiuncta’ secundum quod ei possunt fieri plures additiones, ‘homo currit’ ‘homo ambulat’ et sic de aliis./

6. Sexto quaeritur de hoc quod ipse dicit quod omne ambiguum est dubitabile et non econverso. Videtur enim sic quod dubitabile sit in plus quam ambiguum, quia in plus est illud a quo non convertitur consequentia, et sic videtur quod contineat sub se ambiguitatem, et sic non deberet ‘dividi’ contra illam.

Ad 6 Ad hoc dicendum quod dubitabile potest sumi large vel stricte. Si large, sic omne ambiguum est dubitabile et non econverso, et continet sub se ambiguum, et non debet dividi contra ipsum. Si stricte, sic dividitur contra ipsum, et non comprehenditur sub ipso.

7. Septimo quaeritur quare docet distinguere sive dividere aequivocum per definitionem, et amphibolum per possibile et impossibile.

Ad 7 Ad hoc dicendum quia definitio est cognitio incomplexi, et aequivocum se habet per modum incomplexi, et propter hoc docet ipsum dividere per definitionem. Possibilitas vero et impossibilitas complexi est, et amphibolum se habet per modum complexi, et propter hoc docet ipsum dividere per possibilitatem et impossibilitatem.

8. Octavo quaeritur de hoc quod ipse [[dicit]] docet dividere aequivocum per additionem articuli, ut ‘hic ‘canna Romanorum sanguine sorduit’. Videtur enim male facere, quoniam Aristoteles reprehendit talem solutionem in secundo [[Topicorum]] \Elenchorum/¹ hoc modo quoniam quamvis Coriscus dicatur de pluribus, sc. de homine et muliere, adhuc cum additione huius articuli ‘hic’ potest dici de pluribus masculis; unde reprehendit ibi talem solutionem; hic autem ponit, quare videtur unus contrariari alteri.

Ad 8 Ad hoc dicendum² quod unus non contrariatur alteri, quoniam Aristoteles reprehendit illam solutionem quia non est generalis ad omnes aequivocationes; hic autem ponit quia est alius modus dividendi.

9a Nono³ quaeritur de hoc quod ipse dicit quod aequivocatio possit fieri per casum. Videtur esse falsum, quoniam omnes tales Aristoteles ponit sub amphibolia, quoniam casus dicit rem suam in ordinatione.

¹ Cf. Arist., *SE* 17.175b18-27.

² *Cum hac solutione conferas quae in Notulis super librum Elenchorum dicit Nicolaus Parisiensis in cod. Pragensi MK L.76: 72rA*: “Ad primum dicimus quod Auctor non reprobatur solutionem aequivocationis per additionem dictionis articularis sive per determinationem nisi propter hoc quod ista solutio non est generalis ad omnes orationes quae sunt secundum eandem fallaciam. Unde licet bene possit distingui dupliciter aequivocationis per additionem articuli, quia non convenit ad omnes orationes secundum aequivocationem, ideo non est solutio recta.”

³ *Cum hac dubitatione conferas dubitationem in Notulis Nicolai super librum Elenchorum (cod. Prag. MK L.76: 59vB-60rA)*: “Item, quaeritur quare aliquis modus aequivocationis non est secundum casum, numerum et alia accidentia, sicut est unus penes tempus, ut est ‘laborans’. [...] Ad aliud dicimus quod tempus non est medium sive ratio construendi verbum cum nomine sed solum cum adverbio, quod adverbium non est pars orationis secundum logicum; ideo poterit esse modus aequivocationis a consignificato temporis. Sed alia accidentia, ut genus, numerus etc., sunt principia construendi quae possunt variare constructionem. Aequivocatio vero non fit ex diversa ratione construendi, sed amphibolia. Ideo non ponit Auctor aliquem modum aequivocationis secundum alia accidentia sicut secundum tempus.” *Item 60rB*: “Ad aliud dicimus quod primus modus <sc. amphiboliae> sumitur ex eo quod aliqua dictio

Ad 9a Ad hoc dicendum quod proprie non est aequivocatio sed amphibolia, sed quia iste comprehendit hic amphiboliam et aequivocationem et accentum sub aequivocatione, propter hoc dicit ibi fieri aequivocationem.

9b Item circa hoc quaeritur quare istas confundat hic sub una, et in libro Elenchorum ponit Aristoteles ipsas esse distinctas et divisas.

Ad 9b Ad hoc dicendum \quod/ quia Aristoteles considerat ipsas secundum causas apparentiae, in quibus differunt, propter hoc ponit ipsas esse distinctas; Boethius vero hic secundum causas defectus, in quibus conveniunt, et propter hoc confundit ipsas sub una.

9c Item circa hoc videtur quod vox secundum diversum accentum non possit dividi, quoniam dicit Aristoteles¹ quod vox diversimode accentuata non est eadem; nulla² ergo erit divisio talis vocis, quoniam sic posset dividi ‘hic homo currit, alius disputat’, quia similiter non est eadem vox.

Ad 9c Ad hoc dicendum quod bene potest dividi, quoniam eadem est secundum materiam, quia eadem materia est in utraque, tamen non est eadem secundum speciem sive formam quando diversimode est accentuata.

10. Decimo quaeritur de hoc quod ipse dicit quod ‘queror’ a querela et ‘queror’ ab inquisitione dividuntur et discernuntur per orthographiam. Videtur esse falsum, quoniam eadem est scriptura in utraque, quoniam eaedem litterae et eodem modo dispositae. Et sic videtur mentiri cum dicit quod discernuntur per orthographiam.

Ad 10 Ad hoc dicendum quod per orthographiam discernuntur et diversimode scribuntur quamvis sint eaedem litterae et eodem modo dispositae, quoniam est ibi diversus modus scribendi, quia prima de ‘queror’ ab inquisitione producitur, et ad denotandum istam productionem debet protrahi quaedam linea supra primam syllabam, hoc modo: “quēror”, et non in alio.

sub eodem casu construitur cum eodem diversimode, ut ‘vellem me accipere pugnantes’; secundus vero ex eo quod aliqua dictio construitur cum eodem diversimode sub diversis casibus, ut cum dicitur ‘quod videt aliquis, hoc videt’.

¹ Arist., *SE* 20.177b2-6.

² nulla] c(aus)a **M**.

11a Undecimo quaeritur quare determinat de tribus divisionibus per accidens insimul non assignando differentiam unius ad alteram sicut facit in divisionibus per se.

Ad 11a Ad hoc dicendum quod quia quando dividit<ur> genus dividitur totum, similiter quando vox plura significans; et est alia divisio quando dividitur totum, cum¹ totum sit aliud et aliud quando fit istorum² \divisio/ et illorum, et sic convenient in hoc quod est totum; propter hoc quidem quod conveniebant de necessitate /150rB/ oportuit inter ipsa assignare differentias ne viderentur omnino convenire; sed divisiones per accidens sunt quando dividitur subiectum in accidentia vel econverso; iam manifestum est quod subiectum non est accidens neque econverso, et sic manifestum est quod illarum non oportuit differentias assignare, sed breviter debuit determinare, quoniam tales divisiones non erant necessariae ad logicam.

11b Item circa hoc quaeritur quare istarum divisionum per accidens ponit duo documenta solum et non plura neque pauciora.

Ad 11b Ad hoc dicendum quod cum in divisione non sint nisi duo, sc. dividencia et divisum, non erit ibi nisi duplex comparatio, sc. dividencium inter se, et sic sumitur primum documentum, sc. quod sint opposita ipsa dividencia; vel comparatio dividencium ad divisum, et sic sumitur secundum, sc. quod ipsa dividencia non contineant plus neque minus quam divisum neque econverso.

12. Duodecimo quaeritur de hoc quod ipse dicit quod quotiens venitur ad veritatem possibilea ponenda sunt et impossibilea relinquenda. Sed contra: Philosophus, cum non intendat nisi [[secundum]] veritatem, et impossibilitas impediatur veritatem, magis videtur quod debeat distinguere possibilea et impossibilea quam sophista, qui non procedit secundum veritatem; et tamen, sicut habitum est in libro Elenchorum,³ distinguit sophista tam vera <in utroque> sensu quam falsa, et vera in uno sensu et falsa in altero.

¹ cum] licet **M.** *Suspicio tamen maiorem corruptelam latere.*

² istorum – illorum] istarum – illarum **M.**

³ Cf. Arist., *SE* 17.176a4-6 (*AL* VI.38-38).

Ad 12 Ad hoc dicendum quod sophista¹, quia vult videri sapiens et in nullo inscie se habere, ideo distinguit tam vera in utroque sensu quam falsa; sed demonstratur, cum non curet \de/ huiusmodi visione non distinguit, immo solum sumit quod sibi competit; et hoc est quia intellectus geometri in quantum geometer artatus est \ad/ materiam \propriam/: procedit enim ex primis principiis et veris; unde si proponeretur ei ista ‘omnis circulus est figura’ ratione appropriationis materiae sumeret eam, non tamen distingueret illam, immo solum \intelligeret/ [distingueret] illam de circulo qui est figura, cum circulus in illo sensu tantum sibi competat. Et propter hoc philosophus sive demonstrator non distinguit possible et impossibile, sed sumit possible et relinquit impossibile, quia intellectus geometri in quantum geometer artatus est ad suam materiam sicut artatus est intellectus rhetorici ad colores.

13. Tredecimo et ultimo quaeritur quare Boethius in Topicis determinat de divisione quae fit per negationem, hic autem non; quare videtur ibi esse superfluum vel hic deminutus.

Ad 13 Ad hoc dicendum quod hic non determinat de divisione quae fit per negationem, quia hic debet determinare de divisione quae est in res, et ista non erat in res, quoniam negatio non ponit aliquam rem. Et propter hoc de illa non determinavit.

Et sic patet solutio ad omnia quae circa haec quaerebantur.

EXPLICIT

¹ “sophista vult videri sapiens”: cf. Arist., *SE* 1.165a30-31 (*AL* VI.6); “in nullo inscie se habere”: Arist., *SE* 16.175a13-14 (*AL* VI.35).